ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris, Anno M DC LXXXIII.

JACOBI GRONOVII EXERCITATIONES academicæ, de pernicie & casu Judæ τȣ͂ προδότȣ.

Lugduni Batavorum, apud Danielem a Gaesbeeck, 1683, in 4.

PErditissimi mortalium Judæ infelicissimum interitum a Matthæo cap. XXVII, versu 5, & Petro apud Lucam in Actis cap. I, versu 18, verbis nequaquam obscuris expositum, variis opinionibus in diversas partes flectere, & historiæ tam claræ tenebras offundere, traditionemque tam adultam de suspendio & αὐθεντίᾳ impugnatum ire studuerunt, qui interpretandis sacris litteris operam suam addixere. Ut igitur cognoscatur, quid ab ipso usque Apostolorum tempore observatum de ultimo proditoris casu sit ab aliis, simul autem intelligatur, quid statuendum de eo sit; muneris sui partes se impleturum existimavit, nec exquisitam suam eruditionem imparem huic argumento penitissime exigendo & sententiis aliorum examinandis esse ostendit doctissimus vir *Jacobus Gronovius*, editis exercitationibus academicarum prælectionum in usum conscriptis, quibus tenebricosum, ut ait, Judæ laqueum omnibus palam ostentare studuit, opiniones interpretationesque aliorum omnes candide in medium attulit, & acriter examinavit, monstravitque qua in parte illi videantur ab vera orbita deflexisse, ac denique subjecit, quid sibi videatur de sano rectoque sensu verborum Græcorum a Matthæo & Luca hic adhibitorum: quæ e Gentilium libris & debere elucidari & rectius posse quam ex omnibus Christianorum evanidis conjecturis, egregio hoc documento probavit; ostendens, & tempus & ipsam per-

niciem Judæ, quæ ſub variis doctorum hominum conjecturis hactenus fluctuaverunt, clare ab ipſis Evangeliſtis eſſe indicata.

Primum qui involverit Judæ laqueo ſibi vitam finientis hiſtoriam, & ambagioſis fictiſque narrationibus incruſtarit, PAPIAM nominat, ſcriptorem teſte Euſebio futilisſimum, cujus fabulationes de inflato Judæ corpore & *plusquam hydropico* ejus tumore, (quo factum, ut cum via, per quam facile agi plauſtrum poterat, ipſum non caperet, obtritus a curru ſceleſtus fuerit eiusque viſcera excuſſa) ab Oecumenio & Theophylacto interpolatas, ab his, qui Græcorum commentarios in Catenam Patrum contexuere, iſti innexas fuiſſe ait: a quibus acceptam fabulam latius diſſeminarint Baronius, Pererius & alii, falſas & prorſus commentitias neque inter ſe cohærentes narrationes de ſupplicio Judæ commenti: interiora etiam ejus ſcrutati, non eo animo venditum ab eo proditumque Servatorem fingentes ut occideretur, ſed quod ſperaret manibus & vinculis hoſtium ſæpius eluſorum eum elapſurum eſſe, ſeque divina ſua vi ercpturum. Quod commentum Theophylacto & Theophani Cerameo placuiſſe affirmat: quorum alter addiderit, Judam Chriſto ſupervixiſſe, & in prædio poſt longos demum cruciatus periiſſe. Quarum fabularum futilitatem auctor veris rationibus & ſuſpicionum ſomnia idoneis argumentis diſcuſſit: rectiora ſecutum pronuncians veterem Interpretem Evangeliſtarum, qui *laqueo ſuſpenſum Judam effuſis viſceribus medium crepuiſſe* ſcripſerit. Quod licet omnis retro antiquitas perſuaſum habuit, ſibi diſcedendum tamen ab eo exiſtimavit avorum noſtrorum ætas, committi hac ratione Evangeliſtas verita, ſi alter ſuſpendio, alter præcipitio Judam periiſſe narraſſet, ac propterea laqueo gulam fregiſſe proditorem ſibi amplius perſuaderi non eſt paſſa. De eo quidem jam Eraſmum ſubdubitaſſe auctor pag. 27 indicat, quod nempe vultus in terram dejectus (nam ſic interpretatur πρηνὴς γενόμενος) non conveniat geſtui ejus, qui laqueo fauces conſtrinxit ſibi. Sed adverſus hunc, eosque qui eum ſecuti, ſuſpenſum vel ſe ipſum præcipitem egiſſe, vel ab aliis dejectum eſſe, ex iſtis Lucæ verbis colligunt, & mirificos caſus ſupponunt, iſtud loquendi genus auctor explicat: eaque occaſione dum privatæ ſtrangulationis exemplum e Petronio recitat, locum ejus emendat in capite 54, pro vulgato: *ſemicinctio ſtanti ad parietem ſpondam junxeram*, legendum cenſens: *ſemicinctio inſtitam ac parieti ſpondam junxeram.*

Veteribus

Veteribus scriptoribus confutandis, qui a Papia inducti (quem Eusebius, Casaubonus, & Halloixius notavere) pro vera Judæ morte fabulas dederant, nec in sacris litteris nec in antiquitate quidquam præsidii invenientes, capite secundo & tertio defunctus, quinto & sexto ISAACI CASAUBONI sententiam examinat, qui ut Matthæum proditoris in frangenda *laqueo gula* consilium exponentem Lucæ facti scelerati exitum funestum horrendumque narranti conciliaret: Judam strangulatione vitam sibi erepturum, laqueum collo aptantem, seque impellentem, ut eo facilius fauces elideret, fracto laqueo in faciem cecidisse, & saxo truncove acuto illisum ventre rupto intestina effudisse, vel divina sic adgubernante ultione corporis fissionem, *quod vis* quædam peculiaris & extraordinaria intus operaretur, *passum* esse tradidit: quod probarunt Belgæ Bibliorum interpretes, *Calixtus*, Gerhardus, Dietericus & alii. DAN. HEINSII opinionem, Jac. Lydio præ cæteris probatam, ex ingenti mœrore animi contracto morbo & spiritus angustia, *ἀγχόνῃ* seu angina, Judæis familiari morbo, qui fauces, sive summas gulæ gutturisque partes, cum anxietate maxima præcludit, strangulatum quasi Judam interiisse arbitrati, capite septimo & octavo excutit. HUGONEM GROTIUM Heinsianam sententiam interpolantem, & gravissimum conscientiæ exulceratæ tormentum inopinato casu exitium Judæ attulisse asserentem, capite nono notat. CLAUDIUM SALMASIUM comminiscentem Matthæi dissensum a Luca, quorum is suspendio, hic præcipitio Judam periisse tradiderit, capite decimo refellit. JO. PRICÆI coniecturam, Vossio admodum probatam, qua ductus nullum mortis genus a Matthæo indicari credidit, sed animi saltem dolorem exprimi, quem præcipitium voluntarium fuerit secutum, incertum quo tempore, capitibus XI, XII, XIII & XIV elevat. JO. LIGHTFOOTI denique commentum, quo persuadere is conatus est credulis, raptum a diabolo in sublime proditorem strangulatum ac præcipitem datum fuisse, ita ut terræ allisus iste rumperetur medius, effunderentur *ilia*, & tam horrendo exitu egrederetur qui in ipso habitaverat dæmon, capite XV exagitat.

Momenta igitur omnium sententiarum de supremis *Judæ* postquam examinasset, & *severe* castigasset, *eos etiam qui* amplexi istas fuerunt non minori ingenio quam verborum acerbitate perstrin-

xisset, (Nicolao Heinsio aliud quasi agens admodum iniquus, ejusque fidem in enotandis variantibus lectionibus adhibitam p. 173 elevans) ipse quid de interitu Judæ sentiat tandem exponit. Et cum ante de vocibus ἀπάγχεσθαι & πρηνῆ γενέσθαι, e quibus solis recte intellectis verum genus mortis Judæ intelligendum, accurate disseruisset, & e plurimis Græcorum scriptorum locis probasset, quæ vera eorum esset significatio, nec unquam ἀπάγχεσθαι adhiberi, nisi cum violentia extrinsecus in collo adhibita quæ circuitu laquei istud angustet, exprimenda est, ac vix scriptorem Græcum alicujus auctoritatis esse, qui non eo verbo ita utatur, exemplis Herodoti, Thucydidis, Æliani, Arriani, Artemidori, Aristophanis, *Theocriti*, Epigrammatariorum, Xenophontis, Polybii, Appiani, Luciani, *Hesychii*, Eustathii, & Hippocratis probasset, aliaque alibi non obvia, nec *ulli* interpretum antea observata, e Græca litteratura attulisset: tandem colligit, nequaquam angina, mœrore, aliove morbo, sed res te sua manu collo injecta infelicem spiritum exclusisse strangulatumque periisse perditissimum mortalium: post mortem vero non sepultum fuisse, (neque enim isto tempore amplius cadaver abjicere aut insepultum relinquere sibi religioni duxisse Judæos, quod non licebat dum casta religione Mosaicas leges observabant) sed in notam omnibus & destinatam cadaveribus & belluinis purgamentis voraginem ac Geennam πρηνῆ abjectum fuisse: qui locus tesqui instar cum esset horridus, eminentibus hic illic rupibus, istis impactum infelix cadaver ruptum fuisse & viscera effudisse. prorsus loco tali aspero ad id destinato, ut sic squallor cadaverum dum projiciebantur collisorum citius exsiccaretur & interiret, quam si integra alibi in *plana* abjecta lente putrescerent. Nulla vi hæc extorqueri, sed sponte *sequi* censet ex verbis, quibus illam historiam nobis prodidit *Sanctus* Spiritus, simplicissimis & liquidissimis maximeque propriis, *quibus* vim inferre & coniecturarum suspicionumque somniis in *diversas* partes ea rapere nefas existimat: vanum etiam componendorum Evangelistarum studium censet, in re de qua nunquam in *partes* abierunt; cum Matthæus de morte, Lucas de tempore post *mortem*, & eventu cadaveris laqueo alligati, postea demti *abjectique* & inde diffissi, narrationem instituerint.

J. COM-

J. COMMELINI CATALOGUS PLANtarum indigenarum Hollandiæ, cui præmissa Lamb. Bidloo dissertatio de Re Herbaria.

Amstelodami, apud Heinricum & viduam Theod. Boom, 1683, in 12.

EX Anglia mense hujus anni Majo Botanicum eximium repræsentavimus *Joh. Rajum*, cum *novam plantarum methodum* in publicum evulgasset. Nunc ex Hollandia exhibemus virum & ipsum rei herbariæ ad stuporem usque deditum *J. Commelinum*, Senatorem Amstelodamensium amplissimum, cujus Catalogus plantarum in Hollandia nunc nascentium, hoc ipso anno a Lamberto Bidloo, Pharmacopœo Amstelodamensi, fuit editus. Libellus, si molem contempleris, valde est exiguus; sed si laborem in tot agris, nemoribus, dumetis, collibus littoribusque perreptandis, plantisque exinde colligendis adhibitum, satis grandis atque operosus; nec plantarum tantum catalogum sed arbores etiam, sata, & quidquid ex terræ Hollandicæ exsurgit gremio, complexus. Plantas vero *indigenas* dum nuncupat auctor, non eas tantum, quæ supra hominum memoriam in Hollandia suapte sponte crescunt, sed & quæ ex aliis in eam delatæ oris cœlo & solo Hollandiæ assuefactæ, & civitate quasi ejus sunt donatæ, exhibet; & quidem ordine alphabetico dispositas, nec latine tantum a *Caspаro* & *Johanne Bauhinis* fratribus, aliisque clarissimis Botanicis, quorum series cum contractorum nominum explicatione dissertationi Editoris subjicitur, sed & Belgice a Belgis duobus *Remberto Dodonæo* & *Matthia Lobelio* denominatas. Expressa etiam sunt nativitatis loca nominibus propriis, quibus gaudent, urbes puta Hollandiæ, pagi, villæ, fluvii & canales, ut adeo ab iis quoque, qui linguam latinam in Batavia haud callent, & herbarum tamen diligentissimi sunt collectores, investigari ostendique aliunde advenientibus possint.

Usum libelli hujus ulteriorem fuse jam dictus Bidloo in dissertatione præliminari exposuit; atque ea pariter, quæ a Medico quodam in scripto invectivo cum contra Botanicen omnem, tum contra indigenarum plantarum præstantiam a se assertam protulerat, partim experientia certa, partim aliorum populorum atque auctorum testimoniis con-

futavit. Atque uti Botanices patronum se semel est professus, *ita non* ab iis tantum, qui rejectis Botanicæ sacris, Chymiæ apotheosin quandam affingunt, se facit segregem, sed & illos, qui totum Medicinæ negotium ad normam Matheseos se instituere atque absolvere gloriantur, satyrico sale perfricat: ostenditque præterea, Neotericos nihil aliud quam veterum cramben, dogmata videlicet de *atomis, motu, materia prima, fermentatione, dissolutione & concretione*, recoxisse. Patrocinatur postea Empiricis, sed ratione utentibus, Hippocratique similibus, qui divinos aphorismos suos ex tabulis ægrotantium eucharisticis concinnasse traditur. Quanquam autem non approbat Bidloo, qui ex Chymia, Botanica insuper habita, deam quasi faciunt, eam tamen Phytologicis disquisitionibus non minus, quam Metallurgiæ & mineralium anatomiæ censet necessariam, quippe cujus sine adminiculo plantarum destillatio, decoctio, extractioque non possit fieri. Quæ & alia postquam fuse ac docte pro Botanica herbisque indigenis edisseruit Bidloo, de recte instituendo studio Phytologico nonnulla adjicit. Existimat autem Botanicorum priscorum & coætaneorum figuras diligenter examinandas, an eædem sint, quibus nos utimur? nec tantum radicum, foliorum, caulium, florum, seminumque figuras indagandas, sed & palati nariumque examini offerendas. Hoc excipere debere Chymicam analysin, unde luculenter patere possit, num eodem ex processu succedant eadem; dein discernenda legitima a spuriis, & tum conspicuum fore, num recte Botanicorum mentem, titulos, vocumque significationes perceperimus; quin & appariturum, Auctores quosdam minus dextram tribuum distributionem confecisse. Præmissæ huic disquisitioni usum medicum tanquam coronam atque coronidem imponendum: hunc enim, si contrarium testetur successum, documento fore, aut errasse antecessores nostros, aut nos nō satis homogeneam investigasse plantam. Quod ignota attinet, hæc primum, quantum ex figura externa, odore & sapore conjicere liceat, ad classem alicujus generis referenda, ignisque examini destinanda, unde cui speciei propius unaquæque herba accedat, manifestum sit futurum. Desinit tandem in laude studii botanici, cumque circiter bis mille annos parum vel nihil luminis allatum ei fuerit, (quod & Botanicis objecit Helmontius) id vel maxime nunc temporis excolendum exornandumque esse contendit, laudatque tum Consules Senatumque Amstelodal-

lodamensium, qui usui medico, exoticorumque culturæ hortum spatiosissimum destinarũt, tum *Commelinum* inprimis spectatissimum, qui non notas tantum collegit herbas, sed & ab aliis nullibi & nunquam repertas Hollandiæ plantas nota ND. distinctas, detexit, longeque plures hoc opusculo jam sub prelo sudante congessit, aliquando & ipsas luci exponendas.

OBSERVATIO RARA circa aquam Rhodani, Jac. Spon Med. D. Lugd.

Q*ueritur inter medicos*, inquit Plinius, *cujus generis aquæ sint utilissimæ. Stagnantes pigrasque merito damnant, utiliores quæ profluunt existimantes: cursu enim percussuque ipso extenuari atque proficere.* Hinc magnorum & rapidorum fluminum aqua salubris esse debet, si præsertim multum limi non vehat secum. *Parthorum Reges*, inquit idem Plinius, *ex Choaspe & Eulæo tantum bibunt.* Indorum Reguli ex solo Gange. Tot populi varii, tot varias potant aquas, fontanas, puteales, nivales, pluviales, fluviatiles, necessitate & commoditate potius coacti, quam sanitate. In ultimo meo per Galliam itinere, Arelate pertransiens, quæ est urbs antiqua ad Rhodanum sita in palustri solo, observavi fontes nullos esse, saltem quorum aqua potabilis & laudabilis foret, nec pariter puteos; attamen ipsos aquam limpidissimam & optimam bibere. Quænam illa foret aqua inquisivi. Eandem retulere mihi, quæ mœnia nostra proluit: at quo pacto reservaretur, addidere. Ex medio Rhodani fluente accipitur, & domum affertur, ubi in cellis vinariis reconditur intra maximas figulinas urnas, in quibus subsidentia omnis per aliquot septimanas aut menses deponi permittitur, antequam potetur. Hinc pura & optima aqua habetur, quæ non solum per plures menses, sed per annos plures, imo per sæculum integrum incorrupta conservatur. Repertæ sunt enim aliquot urnæ aqua illa plenæ, in domus alicujus ruderibus, quæ a centum fere annis jacebat. Quod si aqua hæc Rhodani hoc quo diximus modo depurata, in navibus supra mare transferatur, incorrupta permanet, modo sit illa in figulinis urnis reservata: alioquin si in doliis ligneis, corrumpitur, & dein exacto aliquo tempore iterum depuratur, & potabilis ut antea evadit.

Ergo

Ergo illa corruptio a ligno putredini potius apto, quam vasa figulina. quod in nautarum gratiam notandum. Etenim non est forte illa proprietas optimam & incorruptam aquam præbendi Rhodano soli tribuenda: siquidem & in Occitania qui circa fluviolum *Vidourle* habitant, idem de ipsius aqua decantant. nec dubito magnorum præsertim fluminum aquas id præstare, veluti Rhenum & Danubium, si eodem modo recondantur. Quod Physicis & curiosis proponendum censui, non tantum ut theoricam quæstionem, sed etiam ut in usum revocetur in iis locis, ubi laudabiles alias aquæ non habentur. Ita apud Lugdunenses nostros, qui puteales aquas non omnino limpidas ac puras bibunt, Arelatensium jam non invidebo lympham, ubi magnas mihi fingi urnas curavero. Adsunt enim nobis *Rhodanus amne præmpido fluens, Ararque dubitans quo suos cursus agat.* Ille purus & limpidus, iste impurus & limosus, unde potui minus commodus. Sequana tamen Lutetiam intersecans, limo turgidior est, potatur tamen & sana putatur post integram defæcationem. Purgans est præcipue advenis ob exiguum salem ex limo & recrementiis variis ab illa convectatis. Plin: *Aquam quam optimam, aeri simillimam esse oportet*, hoc est, tenuem & quamminimum secundis qualitatibus dotatam, insipidam, inodoram ac pellucidam.

HISTOIRE DU CALVINISME ET CELLE DU Papisme mises en parallele, ou Apologie pour les Reformateurs, pour la reformation, & pour les reformez, divisée en quatre parties, contre un libelle intitulé l'histoire du Calvinisme per Mr. Maimbourg.

sive

Historia Calvinismi & Papismi parallela.

vel

Apologia Reformantium, Reformationis, & Reformatorum, in quatuor partes divisa. Adversus libellum cui Titulus est: Historia Calvinismi Dn. Maimburgii.

Roterodami 1683. in 4. & 12.

apud Arn. Leers.

Prodit

PRodit jam post illos, qui Maimburgianam Calvinismi historiam aggressi, & a nobis in superiorum mensium actis relati sunt, is cujus spem illa fecerunt; justæ, ut dici solet, armaturæ bellator, argumentorum phalange & ad defendendum, & ad impugnandum instructus. Prius operis *parte prima*, *alterum secunda* præstandum sumsit. Nos de *prima* nunc agemus, dilata in mensem sequentem altera. In præfatione *Gallum* se profitetur autor, sed extra patriam viventem: neque tamen satis tutum putavit, ut nomen ederet, Regis longas manus, & iras veritus. Has ab adversæ partis scriptoribus incendi queritur, dum non solum Reformatis veteribus rebelliones & bella civilia immerito imputent; sed & Apologistas recentes magnæ adversus Regem insolentiæ, per calumniam accusent, & ignobili cautela efficiant, ut summo rigore adversus autores & editores defensionum procedatur. Se tamen libere ait & sincere facturum, ut veritas contra objectiones falsissimas asseratur, nec Sponii cautela usurum, qui in historia Genevensi ad *patronos quosdam in aula Regia* respexerit, omissis, quibus offendi illi viderentur posse. Antequam vero in aciem descendat, characterem ingenii Maimburgiani præmittit; venalemque & aulæ mancipatum stylum, tum ex hoc, quem refutandum destinat, libro, & *Concionibus* ejus *Anti Jansenisticis*; tum ex aliis scriptis prolixe arguit: eoque non mirandum esse dicit, quod in Reformatos, quorum interitum ab aula decretum esse sciat, tam acriter invehatur, qui eodem adulandi studio regiam caussam in quæstione *de regalibus*, utut justiorem, tamen contra ordinis sui sacramentum adversus Pontificem defenderit, & censuram ejus, atque ejectionem ex Societate insolenter spreverit; ut jam *Abbatis* aut *Domini* titulo tumidus, per vicos Parisienses biga feratur, quos antea pedibus triverit.

Post hæc & alia etiam acriora, *Parte I. Libr. I. Cap. 1.* (compellatione semper per modum epistolæ ad amicum quendam directa) *Zvinglium* a Maimburgii convitiis liberatum it: militem fuisse negat; *Ignatio Lojola*, *Dominico*, & *Francisco* longe sanctiorem statuit: neque Pelagianismum sapere, quod de Ethnicis quibusdam ob virtutes in cœlum receptis scripserit, cum ex iisdem virtutibus conjectasset, extraordinaria Dei gratia, nec nisi per Christum, ad salutem eos pervenisse. Ad summum itaque in facto errasse, aut exemplo *Clementis Ale-*

xandrini & Epiphanii, eadem & duriora tradentium; nulla *Pelagianæ* hæreseos contagione, quæ omnia viribus humanis tribuat, quamque Scholastici & Jesuitæ renovarint. His Guil. Postelli immanes errores objicit, quem pro socio inter fundatores agnoverint. *Cap.2.* Literatos, qui superata *Sorbonicæ Theologiæ* barbarie, Sacrarum literarum studia sub Francisco I Rege reduxerint, interque eos *Guilielmum Brissonetum Episcopum Meldensem*, & *Jacobum Fabrum Stapulensem* defendit, hujusque memorabilem & sanctum obitum ex *Huberto Leodio* refert. *Cap.3. Petri Vermilii*, vulgo *Martyris* dicti, causam agit, nec in doctrina de Cœna vacillasse, aut *Luthero* consensisse concedit. Negat etiam uxorem ejus monialem fuisse; nec referre, si fuerit. Ex *Hieronymo* enim, fervido licet & hyperbolico cœlibatus præcone, constare, licuisse velatis virginibus, si voluissent, nubere. Matrimonia Sacerdotum defendit, & impuritatem cœlibatus insectatur. *Cap.4.* dissensum, qui objicitur, inter *Zuinglium* & *Calvinum*, in fundamento Religionis fuisse negat. Expendit divinam providentiam, qua fiat, ut dissensiones etiam inter orthodoxos inveniantur; ex quorum tamen censu *Socinianos*, novos *Arrianos*, *Anabaptistas*, & omnes fanaticorum sectas excludit. Eidem providentiæ divinæ tribuit, quod pauci electi, in purioribus etiam cœtibus, multitudine reproborum circumdentur, & sub illa aliquando, præsertim in persecutionibus, (per quas non semper, nec soli electi abripiantur,) lateant. Quod vero ex Protestantium Ecclesiis multæ sectæ heterodoxæ prodierunt, id veritatis indicium esse; neque aliter actum in Ecclesia primitiva. Hujus enim fata cum Protestantium Ecclesiarum statú optime comparari posse: sive simplicitatem & humilitatem docentium; sive schismata inter fideles, (qualia *Corinthi* fuisse ex *Pauli* & *Clementis* epistolis constet;) sive hæresium multitudinem; sive diaboli machinationes & hostium sævitiam spectemus. Concordiam itaque & quietem externam non esse argumentum veræ Ecclesiæ, neque (*Cap.5.*) unionem tantopere a Romanensibus jactatam alio vinculo niti, nisi sola primatus Pontificii agnitione. Sic receptos olim *Abyssinos* & *Maronitas*, non correctis erroribus, quos ab *Eutychianis* & *Monothelitis* haustos notorie retinuerint. Objicit deinde acerrimas inter Romano-Catholicos dissensiones, *de immaculata conceptione B. virginis; de auxiliis gratiæ, dum Molinistæ Arminianorum, Jansenistæ*

nistæ Gomaristarum sententiam teneant; *item de juribus Episcoporum, de disciplina morum*; & *de infallibilitate Pontificis, a Clero* Gallicano *negata*: unde sequatur, extra concilium, adeoque jam intra annos centum, spiritui erroris expositam fuisse ecclesiam. Ita intra castra & vallum Pontificiæ unionis, imaginariæ & hypocriticæ, pugnari non mitius, quam inter *Protestantes*, nisi quod hi separata quasi castra habeant. Uniri tamen hos sub uno capite Christo, & judice Scriptura, in fundamentis doctrinæ: sed disceptantes in Ecclesia Romana, nec sub his principiis inter se uniri, & solo primatus utcunque agniti nexu ad externam pacem obtinendam Pontifici adhærescere. Nec audere, aut ausurum Papam controversias, quantumcunque graves decidere, nec obsequium inventurum esse: sic enim condemnatos licet, *Escobaris*, *Lessii* & *Caramuelis* libros, nihilominus manere, & rejecta dogmata vigere. *Cap. 6.* fanaticorum originem Protestantium doctrinæ objectam, in adversarios retorquet: ab illis enim visiones & apparitiones ad tuendos errores expeti, curiose indagari, & sub levi prætextu probari. In vita Monastica atram bilem sive melancholiam frequenter gigni, & ad visiones eliciendas foveri: apud Protestantes helleborum visionariis proponi. Nec novum *Enthusiasmi* malum esse. Ad *Hieronymum* provocat, tam doctum & acrem virum, qui tamen in vita *Hilarionis* & *Pauli* Eremitarum ea scripserit, quæ insulsissima *Sanctorum Legenda* ineptiis vincant. Nihil absurdius esse apparitionibus *Theresiæ, Carmelitarum reformatricis*, quas tamen *Arnaldus Andillius* Gallice vertere sustinuerit. Fuisse longe ante reformationis tempora *Franciscanos spirituales*, decretis Pontificiis vix coercitos; fuisse *Flagellantes*, *Begardos*, *Turlupinos*, aliosque: *Johannem Parmensem* æterni Evangelii venditatorem, seculo 13 vixisse, nec multo post *Christianum Rosacrucium*, cujus dogmata in libro, cui nomen *Famæ*, ineunte hoc seculo resuscitata fuerunt. Fanaticis accensendos etiam esse *Theologiæ Mysticæ* scriptores, *Schonovium*, *Taulerum*, *Rusbrochium*, &c. nec *Lutheranis* annumerandum autorem *Theologiæ Germanicæ*, Libertinismi, ut putat, semina continentem: imo a Luthero rejectum fuisse *Lojum* quendam, *Antuerpiæ* postea combustum. Pro Enthusiastis etiam habet in Belgio plurimos ante Lutherum, *Coppinum*, *Quintinum*, alios: sed & Monachorum quorundam fundatores; tum S. *Brigittam*, & *Catharinam Senensem*.

Tandem etiam in *Avianum*, præter vere Sanctorum exemplum in orbe, ut ait, vagantem, & se fictis miraculis ostentantem, vehementer invehitur. *Cap. 7. Marotum* inter Doctores reformatos non agnoscit, nec psalmos in Protestantium gratiam aut usum, sed ut Poetam, in aula Francisci I Regis, composuisse scribit: hosque prius a Catholicis, quam a Reformatis cantatos, imo censura probatos, & cum privilegio Regio editos aliquando fuisse. Maroti mores non defendit, negat tamen illum ob adulterium Genevæ fustibus cæsum. Objicit cantiones ineptas, aut profanorum carminum tonis accommodatas; Psalterium Latinum Breviarii ex corrupta Græca versione translatum, & *Antonii Godavii* paraphrasin a sensu Spiritus Sancti multis locis recedentem. *Cap. 8.* pro Beza acriter pugnat, excusato inprimis carmine Juvenili, quod Maimburgius Bezæ objecit, *Florimundi Remondi* calumniam secutus. *Cap. 9.* retorsionis loco turpissimos *Aretini* & *Johannis Casæ* libros opponit; tum quæ *Casistæ* v. g. *Thomas Sanchez*, & ex veteribus, *Burchardus Wormatiensis*, aliique scripserint, lectu horrenda. Impuros vero Cleri mores ex autoribus ante reformationem, & ex ipsius Maimburgii *de declinatione Imperii*, testimonio taxat. *Cap. 10. Annæ Burgii* Martyrium ex Thuano, & aliis argumentis defendit. Digreditur inde *Cap. 11* usque ad 14, ut evincat veros Christi Martyres tum ob doctrinam & pietatem; tum ob constantiam, tolerantiam, ut & numeri, sexusque & ætatis respectu fuisse, qui ob religionem Reformatam & Lutheranam mortem oppetierint. Nec gloriam hanc Lutheranis denegandam; passos enim esse ob fidei capita, quæ cum Reformatis communia habuerint: nec leviores errores a Deo Martyribus imputari. Certe *S. Cyprianum* non fraudari Martyris titulo, licet a *Stephano* Pontifice excommunicatum. Exagitat *Martyres Jesuitarum*, præsertim in Anglia & China, allegatis contra eos autoribus Romanensibus: notat etiam *Georgium Cappadocem*, quem in Papatu, Angli præsertim devote coluerint, Arianum fuisse. Persecutionem in Gallia superiori seculo exercitam summæ crudelitatis, & Ecclesiam Romanam maximæ impietatis accusat; & Tragicos casus funestasque persequentium mortes, multis exemplis confirmat. *Cap. 15. Calvini* Apologiam facit: & cum Maimburgius putida quædam, a celeberrimis tamen adversæ partis autoribus hucusque confidenter objecta, omiserit, ad excusandam,

sandam, quæ Calvino imputatur, animi & styli vehementiam respondet, protervia adversariorum irritatum fuisse; Deum vero hanc ejus ut & Lutheri vehementiam in bonos usus Ecclesiæ vertisse: multa tamen exaggerata aut afficta. Denique ejus seculi & scholarum morem hunc fuisse, & ex libris controvertentium apparere, ut acribus dicteriis se mutuo incesserint: nec parcere sibi invicem hodie Romano-Catholicos; imo *Arnaldum* omnes mortales convitiandi arte superare. Obiter notat, Calvinum serius ad reformationis negotium accessisse, nec inter primos reformatores numerandum esse. *Cap.16.* ridiculum esse ait, quod Maimburgius objiciat, Calvinum non fuisse Theologum: aliter judicare peritiores ex Romana Ecclesia. Exscriptum fuisse a *Salmerone*, laudatum a *Stapletono*, *Pasquierio*, aliis. Scholasticarum nugarum parum expertum fuisse fatetur; sed has a cordatis Pontificiis ipsis improbari, quos allegat, & barbariem seculi ante reformationem libere describit. *Cap. 17.* singulare esse ait, & imperitiæ adscribendum, quod Maimburgius Calvino Lutherum quoad eruditionem præferat: fuisse utrique sua dona; sed Lutherum omnium consensu in commentationibus S. Scripturæ a Calvino vinci, & hunc ad miraculum literatum fuisse. Postea *Petri Valdi* laudes ex ipso Maimburgio repetit; nec pudere debere Calvinum aut Lutherum, si quid ex eo aliisque hauserint, dummodo (ut confidit,) vera & pia sint: nova enim non affectasse. Inde ad dogmata quædam asserenda progreditur, v.g. *de libero arbitrio, de gratia efficaci, de justificatione per fidem, de justitia imputata, de meritis operum, de virtute Sacramentorum, de fiducia, de possibilitate implendi legem divinam, de utilitate votorum*: in quibus omnibus sententiam Reformatorum speciose proponit, & reprehendi eam non posse existimat. *Cap. 18.* ad ea respondet, in quibus Lutherum Calvino justius, sive accuratius errasse, scribit Maimburgius: hanc ejus phrasin exagitat autor, dein ad allegatos errores, quos Lutheranis dogmatibus graviores æstimat Maimburgius, specialia regerit & ex hypothesibus Reformatorum explicat: v.g. *de dubitatione, cum fide sive fiducia conjuncta; de gratia*, an *amitti non possit?* an *Deus Pater filium non semper generet?* an *Filius essentiam suam non habeat a Patre, nec Spiritus S. suam a Patre & Filio?* an *Pater solus sit Deus per se ipsum?* an *Christus dubitaverit de animæ salute? Cap. 19.* imputatum Calvino dogma

gma, quod Deus homines ad damnationem creaverit, calumniæ accusat: refert differentiam *supralapsariorum* & *infralapsariorum*, neque tamen concedit priores illos statuere, quod Deus homines ad damnationem creaverit, aut, non præviso crimine, damnaverit. Calvinum dicit non habuisse opinionem supralapsariorum, & a paucis hanc teneri: minime vero etiam ex hac doctrina sequi quod Maimburgius inferat, nempe ideam de Deo iniquam, multo minus Atheismum; quippe qui ex longe aliis, quam ex conceptu nimiæ severitatis divinæ oriatur. Fatetur tamen supralapsariorum sententiam incommodam esse, & rectius adhæreri *Augustino*; quod & Calvinus fecerit, præcipuique ex Scholasticis *Scotus*, *Thomas*, & alii quos citat, quosque Maimburgius incaute cum Calvino damnet. Subjungit quædam de corporis Christi in S. Cœna præsentia, quam dicit spiritualem esse, sed nihilominus realem, ob communicationem omnis virtutis carnis Christi per fidem. *Cap. 20.* ceremonias Ecclesiæ Romanæ, quas extollit, & reformatum cultum sine succo & unctione, sceleti instar, siccam & informem esse Maimburgius dicit, minime ad veram pietatem conducere, sed hypocritis latibulum præbere statuit. Improbat tamen, quod alicubi inter Protestantes (Britanniam intelligit) ob quosdam ritus turbæ excitentur, nec infirmis ex utraque parte parcatur. Mysticas quasdam rituum in Rom. Ecclesia significationes ex autoribus ritualium affert, easque vel ineptas, vel quoniam populo ignotæ sunt, infructuosas esse docet. *Cap. 21.* in statu Ecclesiæ perfectissimo & optimo, qui tempore Christi & Apostolorum, & paulo post fuit, nihil ex succo & unctione, quam Maimburgius tantopere celebrat, reperiri scribit, adductis testimoniis ab adversæ partis autoribus. Originem potius rituum in quibusdam *Judaismo*, plerisque vero *Paganismo* deberi contendit, inter alia ex collatione *apotheoseum* cum *canonizationibus*, *Penatium* aliorumque *Semideorum* cum Sanctis, eorumque imaginibus & cultu. Denique aperte adversari Christianæ religioni, quod jugo Judaicorum rituum, sanctis de causis populo illi a Deo imposito, per Christum liberata, sub aliud non minus grave redigatur, & cultus Christianus simplicitate & puritate sua cœlesti, quem speramus, proxime accedens, externis pompis & ritibus in Papatu oneratus, illius dissimilimus reddatur. Præferri igitur merito debere siccum & sceleto similem, sed

pium

pium & purum Reformatorum cœtum, ſucculentæ & fece mundi illitæ Romanorum Eccleſiæ.

Partis primæ Sectio ſive liber ſecundus hiſtoricus eſt, & exponit, quomodo non in Gallia tantum, (de qua fere unice agit Maimburgius,) ſed & alibi ad reformationem perventum ſit. *Cap. 1. Tigurini* ſenatus acta referuntur & *probantur*; quia religionis cura ad Magiſtratum pertineat, isque conſilio ſacerdotum & doctorum, plusquam 600. adhibito, tempore etiam ultra ſexennium indulto, optimo ordine & circumſpecte proceſſerit: optatque ut ubique eo modo agi potuiſſet. *Cap. 2.* prolixe agitur de reformatione *Genevenſi*, & quædam referuntur, quæ (ut in præfatione auctor jam monuerat) certis ex cauſis in nuper a V. C. *Jac. Sponio* edita Genevenſium hiſtoria omiſſa fuerant: inter hæc atrocia de Cleri vitiis & de fraudibus in reliquiis ſupponendis, aut miraculis effingendis. Multa habet de *Farelli*, *Fromentii & Vireti*, qui primi religionem reformatam, (Lutherana tunc vocabatur) Genevæ prædicarunt, zelo, eorumque perſecutionibus: populi vero exceſſus turbulentius aliquando agentis, libertate publica, & *Bernatium*, urbis protectorum, autoritate excuſat. *Cap. 3.* hiſtoriam reformationis in *Scotia* a prædicatione & martyrio *Patricii Hamiltonii*, qui in Academia *Marpurgenſi* Lutheranæ doctrinæ principia hauſerat, inchoat, & notatis quæ Maimburgius falſo, ut ait, & ad invidiam Scotorum commemorat, usque ad mortem Regiæ matris *Mariæ Lotharingæ* deducit: poſtquam totum regnum Papiſmum excuſſit, nulla violentia, ſed omnium ordinum conſenſu: ſola regina, fruſtra, ut ait, & nullo jure obnitente. Excuſat autē plebem, quod perſecutionibus ab initio irritata, feſtinantius in quibusdam locis ad diruenda monaſteria progreſſa ſit. *Cap. 4* *Mariæ Stuartæ*, quam ut Sanctam & martyrem mire extollit Maimburgius, & alii ex earundem partium ſcriptoribus, mores corruptiſſimos eum in modum exponit, ut appareat, quicquid ei mali contigit, non Calviniſmo, ſed ipſius culpæ eſſe tribuendum. *Cap. 5.* de reformatione in *Anglia* agit, *Burnetum* ſecutus contra *Sanderum*, quem nihil niſi calumnias & mendacia compilaſſe notat. Inprimis obſervat, quod doctrina *Wicleſi* nunquam plane extincta fuerit in Anglia, ſed ad Lutheri usq; tempora clam duraverit: idque probat ex pœnis, quæ plurimis ob illam doctrinam, affictis tamen erroribus, irrogatæ fuerint.. Dein *Henrici VIII* geſta accurate enarrat, & Maimburgii Theologiam notat,

tat, quod Catholicum illum mansisse statuat, qui Pontifici obsequium denegaverit: unde exemplum ostendatur, salva religione Pontificiam autoritatem subruendi. Promovisse vero Henricum reformationis opus, etiam per visitationem & destructionem monasteriorum, cum immania religiosorum scelera deprehendisset, & monachorum potentiam debilitare vellet; dein permissa plebi lectione Bibliorum; decretis etiam synodicis, per quæ multa dogmata Pontificia correcta aut suspensa fuerunt: faventibus reformationi *Thoma Crammero Archi-Ep. Cantuariensi*, & *Thoma Cromvvello*, Regi a Secretis, postea Essexio Comite. Non diffitetur tamen *Cap. 6*, Lutheri sententiam tunc in Anglia receptam, sed *Zuinglianam a Petro Martyre* postea, sub Eduardo VI introductam fuisse. Regis hujus historiam, atque absolutæ sub illo reformationis recenset, notatque, omnia sine cæde & sanguine peracta fuisse, consentientibus aut dissimulantibus Episcopis. *Cap. 7.* inauditam Mariæ Reginæ crudelitatem in Protestantes, optime licet de ipsa meritos, etiam marito *Philippo Hispaniarum Rege* & *Reginaldo Polo Cardinale* Pontificis Legato non satis probante, exercitam describit, administris potissimum *Gardinero Wincestriensi* & *Bonnero Londinensi* Episcopis. *Crammeri* martyrium refert, & ut rejecta, quam spe veniæ ei extorserant, palinodia, dextram suam, Scævolæ exemplo, rogo impositus, prius ipse combusserit. Dein quæ mortua *Maria* Elisabetha ad perficiendam reformationem placide & sine sanguine peregit, indeque diversum utriusq; religionis genium explicat. Tandem etiam *Eboracensis Ducissæ* declarationem, quam Maimburgius historiæ suæ adjecit, nihil sani continere, & verisimile videri ait, eam illius pœnituisse, cum biduo post moreretur. *Cap. 8.* deducitur, motuum causam in Belgio minime Calvinismo tribui potuisse: sed eos ex rationibus politicis, ob violata provinciarum privilegia excitatos fuisse, culpa *Granvellani* potissimum; quod probat ex autore Gallo Protestantibus minime amico, & clerico, cui nomen *Le Laboureur*, *in addit. ad memorialia Michael. Castelnavii.* Notat etiam ex *Meterano*, ab anno 1522 usque ad tumultum bellicum Anno 1567, magnam jam copiam Reformatorum in Belgio fuisse, & plusquam quinquaginta hominum millia religionis causa per varia suppliciorum genera periisse. Religionis itaque initium non a libero exercitio, sed a professione, licet inter persecutiones, numerandum esse

esse: secus si fiat, Christianismi principium in seculum quartum collocandum fore. Ex eadem ratione *Cap.9* probat, minime verum esse, quod adversarius tradat, violentis modis reformatam doctrinam in Gallia stabilitam fuisse; cum ne unicum quidem exemplum afferri possit, quod aliquis *ad religionem* hanc amplectendam metu mortis, aut alia vi, *quali* Romana Ecclesia utitur, coactus fuerit: neque ante annum 1560 arma sumta, cum tamen ab anno 1521 Lutheri doctrina in Galliam delata plurimos sectatores jam invenisset, & multi ob eam ad supplicia raperentur, ut adeo in sanguine Martyrum ad veteris Ecclesiæ exemplum Protestantium religio stabilita fuerit; & anno 1559 ante bellum postea exortum jam plusquam 2000 cœtuum numerarentur, ita ut etiam synodo Nationali Lutetiæ celebrata confessio fidei conscriberetur, qua adhuc Reformati utuntur. Cæterum regulam, quod sine permissione publica Evangelium prædicari non debeat, repugnare juri divino, & exemplo Apostolico: nemini enim id prohiberi posse, qui morte luere veritatis prædicationem velit. Dein *Cap.10* usque ad 21 *sive ultimum*, prolixe ostenditur, quam injuste & subdole bellorum civilium, per annos 40 in Gallia gestorum, calamitas Reformatis tribuatur; cum vel ex scriptoribus Romanarum partium constet, causas bellorum istorum vel omnes, vel saltem præcipuas & plurimas, politicas fuisse; *Ligæ* potissimum, cui *Catholicæ* & *sanctæ* nomen fecerant, quamque ne Maimburgius quidem nunc, cum victrix pars *Borbonia* regno potiatur, probare audeat, imputandas. Notanda est singularis & nova, ex scriptore quodam superioris ævi eruta nomenclatura vocabuli *Hugonotorum*, quæ ab *Hugone Capeto* deducitur, quod hujus posteri Borbonii adversus Guisiorum Caroli M. genus jactantium prætensiones, a Reformatis defensi fuerint. Observari etiam meretur, quod *Cap. 15.* ex historia Ecclesiastica Reformatorum, & ex Synodorum decretis allegat, improbatam fuisse plebis licentiam, quæ imagines sine Magistratus autoritate per tumultum sustulerit. Videatur etiam *Cap. 17*, ubi disputatur, num omnia bella religionis causa suscepta, injusta sint; & quatenus liceat pro Christianis populis alienæ ditionis, injusta persecutione oppressis, arma sumere.

CONTROVERSES FAMILIERES, ou les Erreurs de la religion P.R. &c.

id est,

Controversiæ familiares, sive errores Religionis prætensæ Reformatæ, refutati ex Scriptura, Conciliis & Patribus.

Lutetiæ Anno 1683 in 12. apud Ant. Dezallier.

Autor, *Provinciali Jesuitarum in Aquitania*, in approbatione titulo libri subjuncta, dicitur *Johannes Leonhardus de Fenis, ex Soc. Jesu.* Utitur forma Dialogistica, & magno cum rigore id agit, ut Reformatos hæreseos & impietatis reos sistat. Itaque *parte prima, cap. 1 usque ad 5* vitam æternam illis abjudicat, quod non servent mandata Dei, & servari posse negent; quod fidem & conscientiam suam, neque ex verbis, neque ex sensu sive consequentia Sacræ Scripturæ firmare possint; quod plane careant Scriptura, quia testimonium Ecclesiæ rejiciant; quod contraria Scripturæ doceant; quod eam corruperint & versiones mutaverint. *Cap. 6 & 7* Ministros sive Pastores illorum non a Deo, sed a Diabolo missos contendit. *Cap. 8, 9, 10* dogmata quædam aggreditur, quæ Deo & rationi adversari, & per quæ ad omnia vitia homines impelli, ab operibus vero bonis, virginitate præsertim, removeri ait. *Cap. 11.* Fœminis honestis deserendum esse Reformatorum cœtum suadet, tum ob alias causas, tum ob hanc, quod matrimonia ob adulterium dissolvenda statuant, & sic in maritorum potestate sit, commisso cum aliquo scorto crimine, conjugii vincula quoties velint rumpere. *Cap. 12* narratis, quæ *Lutherus* & alii *Philippo Hassiæ Principi* circa admittendam pellicem olim suaserint, Polygamiam a Reformatis probari non veretur asserere. *Cap. 13* Pastores, quique eos sequantur, statuit esse hæreticos, quia Ecclesiam, quæ tempore reformationis vera fuerit, deseruerint. *Cap. 14* relata Synodi *Dordracenæ* autoritate, a Reformatis agnita, sequi dicit, Ecclesiæ Romano-Catholicæ judicium longe magis agnoscendum fuisse. Applicat hoc *Cap. 15* ad Concilium Tridentinum. *Cap. 16 & 17* Loca Calvini in plurimis articulis adducit, in quibus fateatur,

teatur, Ecclesiæ priorum seculorum ad *Gregorium* usque *Magnum* doctores eadem statuisse, quæ Romano-Catholici statuant, & sic semetipsum suosque sectatores innovationis reos faciat. *Cap. 18* refert, Bezam in colloquio *Possiaceno* negasse præsentiam Christi in S. cœna, eandem tamen affirmari, aut saltem non improbari decreto Synodi *Carentonensis* anno 1631: ex qua contrarietate manifestum sit, apud Reformatos non esse fidem Christianam, quia sermo eorum non sit, *est, est, non, non.*

Parte II Cap. 1 certitudini salutis, quam Reformati sibi promittunt, contradicit, quia non habeant fidem, nec securi esse possint de perseverantia, nec sint in Ecclesia. *Cap. 2* tutius esse ait majorem numerum, & nomen Catholicum sequi, inprimis quod Reformati fateantur, salvari etiam posse homines in Ecclesia Catholica. *Cap. 3 & 4* prolixus est, ut Reformatos extra Ecclesiam ejiciat, quia fuisse Ecclesiam oporteat ante Reformationem, nisi Christo contradicere velint, invictam & perpetuam ecclesiam promittenti. Illam ipsam autem esse, quam Reformati deseruerint; quo argumento multos conversos esse jactat. Addit & alia de *visibilitate ecclesiæ, de novitate schismatis, de moribus Lutheri, Calvini, Bezæ* ex acerrimis eorum insectatoribus desumta. Addit non pauca de dissensu inter Protestantes, qui se invicem hæreseos accusent. Dein ad firmandos articulos controversos pergit, agitque *cap. 5 & seqq.* de *imaginibus*, de *invocatione Sanctorum & Angelorum*, de *reliquiis*, de *festis*, de *justificatione*, de *remissione peccatorum*, de *meritis & libertate arbitrii*, de *purgatione*, de *satisfactione & indulgentiis*, de *confessione*, de *votis & cœlibatu:* omnia, qua potest, ut orthodoxa & sancta adstruens.

Parte III Cap. 1, 2, 3, sententias Romanensium, de *Eucharistia, transsubstantiatione, & Missa* solitis argumentationibus defendit. *Cap. 4* tractat de *usu linguæ Latinæ in Sacris*, & de *lectione Biblica*, quam non vetari ait. *Cap. 5* propugnat *communionem sub una*; *Cap. 6*, *traditionem*; *Cap. 7 primatum Petri, & necessitatem capitis visibilis, & autoritatis definitivæ*, quam ab ipsis Reformatis contra *Independentes* asseri dicit. Denique ad dicta quædam præsentiæ reali, & transsubstantiationi potissimum opposita, responsiones subnectit.

An in toto hoc libro, præter illa, quæ inter tot scriptores polemicos per sesqui seculum ventilata sunt, novum & singulare aliquid

quod refutationem mereatur, propositum sit, expendent, qui id operæ pretium esse putaverint. Nobis librum non examinantibus, sed pervolventibus, cum trita & sæpissime vulgata occurrerent, summa capita excerpsisse & indicasse sufficiens visum est. De exemplis vero novarum in Gallia conversionum, & de convictione ministrorum reformatorum, a *controvertistis*, quos vocant, in provinciis & civitatibus constitutis, præsentes rei testes judicare poterunt.

JOHANNIS CARAMUEL, EPISCOPI Viglevanensis, Comitis Zemidæ &c. Leptotatos, Latine Subtilissimus, de nova Dialecto Metaphysica.

Viglevani Anno 1681. in fol.

INter variascripta, quibus jamdudum Autor inclaruit, hoc est unum e primis simul & postremis, si ad diversa, quibus delineatum, conscriptum, & evulgatum est, tempora respiciamus. Librum enim hunc, quem *(pag 2) ante quadraginta aut plures annos conceperat*, edidit demum, *postquam jam (pag. 37) a quinquaginta annis vel pluribus professus fuerat Theologiam*; hactenus nimirum hæsitans conscientia novitatis & metu Censorum; & adhuc *timide audax aut audacter timidus (pag. 6)* quando eum evulgavit. Continet autem ille novam Dialectum Metaphysicam aut Scholasticam *(pag. 2)* qua conceptus ambigui & obscuri Metaphysicorum & Theologorum Scholasticorum, inprimis Thomæ Aquinatis, distincte ac perspicue proferri & intelligi possint. Nova in hunc finem nomina & verba in Dissertatione prima Metalogica formantur & exponuntur; in secunda Philosophica & tertia Theologica variis quæstionibus applicantur; quæ est totius hujus Operis οἰκονομία. Verbum, stylo Logicorum, est vel substantivum, vel adjectivum. Utrumque assumitur, sed diversim ode tractatur. Verbum enim substantivum *(Sum)* distinguitur a novis quinque Verbis, *Sam, Sem, Sym, Som, Sum*, ita, ut illud nihil denotet aliud, quam τὸ Esse generice, hæc specifice: *Sam*, habere essentiam; *Sem*, habere existentiam; *Sym*, habere æternitatem simultaneam; *Som*, habere actum physicum; *Sum*, habere aliquam durationem. Ne vero quis tertium (*Sym*) cum vulgato Conjunctivo (*Sim*) confundat, scribitur illud per y; quemadmodum quintum (*Sum*)

(Sum) conjugatur, *ſus, ſut,* ut a vulgato *(ſum, es, eſt)* diſtingui poſſit. Deinde quinque illa nova Verba inflectuntur per omnes modos, ita ut in infinitivo (qui frequentiſſime in exemplis occurrit,) ſam habeat *ſare*; ſem *ſere*; ſym *ſyre*; ſom *ſore*; ſum *ſure*; imo vero conjugantur etiam paſſive, ſed tantum in tertia perſona: *ſatur*, habetur eſſentia; *ſetur*, habetur exiſtentia; *ſytur*, habetur æternitas ſimultanea; *ſotur*, habetur actus phyſicus; *ſutur*, habetur aliqua duratio. Cum autem hæc ipſa verba (ſam, ſem, ſym, ſom, ſum) non ſignificent activo-tranſitive, huic defectui conſultum fuit per alia quinque verba derivativa: *Samo* (a ſam,) *ſemo*, (a ſem,) *ſymo* (a ſym,) *ſomo* (a ſom,) *ſumo* (a ſum,) quæ ſignificant active ac tranſitive, *dare aut communicare eſſentiam, exiſtentiam &c.* Et ſicut per imitationem vulgati verbi ſubſtantivi (ſum) formata ſunt quinque illa ſam, ſem, ſym, ſom, ſum, ut perfectos eſſendi modos exprimant: ita ad imitationem horum ipſorum alia quinque nova verba finguntur: *ſaim, ſeim, ſyim, ſoim, ſuim*; quibus modi eſſendi imperfecti, videlicet eſſentia aut exiſtentia imperfecta &c. deſignentur. In verbis Adjectivis hæret circa participia; quæ ſunt vel uſitata vel nova. Ab uſitatis deducuntur Abſtracta nova: ab amaturus, *amaturitas*; ab amandus, *amanditas*. Nova derivantur ipſa a tertia perſona pluralis numeri in omnibus temporibus Indicativi & Conjunctivi Modi; ab Amant, *Amans*, *Amatus*; ab Amabant, *Amabans, Amabatus*; ab Amaverunt, *Amaveruns, Amaverutus*; ab Amabunt, *Amabuns, Amabutus*; ab Ament, *Amens, Ametus*; ab Amarent, *Amarens, Amaretus*; ab Amaviſſent, *Amaviſſens, Amaviſſetus*; ab Amaverint, *Amaverins*, *Amaveritus*. Et ne quis forte conqueri poſſit de inopia novorum hujusmodi Participiorum, ſeorſum quoque deducuntur contracta a contractis Præteritis & futuris: *Amaruns & Amarutus* ab Amarunt; *Amarans & Amaratus* ab Amarant, *Amarins & Amaritus* ab Amarint; *Amaſſens & Amaſſetus* ab Amaſſent. Hæc Participia ita ſe habere putat Autor *pag. 27, ut tametſi ſimpliciter neceſſaria non ſint, ad magnum tamen Metaphyſicæ dialecti ſplendorem & ornatum conducant, ſi illis aliquando utamur.* Quod ut facilius credatur, non profana, ſed ſacra exempla *pag. 36* adducuntur. Quando enim *Matth. cap 1. v. 19*, Vulgatus legit: Joſeph autem, Vir ejus, cum *eſſet* juſtus & *nollet* &c. & Arias Montanus, per participia: Joſeph autem, Vir ejus, juſtus *exiſtens & non volens*; Dialectus Meta-

 phy-

physica dicit: Joseph autem, Vir ejus, *essens* justus & *non vellens.* Quando *ibid. cap. 2. v. 9.* Vulgatus scribit: Qui cum *audiissent* Regem, abierunt; & Arias Montanus, per participium: Illi autem *audientes* Regem, profecti sunt; Dialectus Metaphysica vertit: Illi autem *audivissentes* Regem, profecti sunt. Quando *Joh. ult.* Vulgatus habet: sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui *scribendi* sunt, libros; & Arias Montanus per participium: sunt autem & alia multa, quæcunque fecit Jesus, quæ si scribantur ad unum, nec ipsum arbitror mundum capere posse *scriptos* libros; Dialectus Metaphysica interpretatur: sunt autem & alia multa, quæcunque fecit ipse Jesus, quæ si scriberentur singillatim, ipsum arbitror mundum non posse capere libros *scriberetos*. Longe vero major usus tribuitur novis verbis: Sam, sem, sym etc. Nam hæc aptantur vexatissimis quæstionibus, e. c. an Materia Prima habeat *Sare* (essentiam?) An *sere* (existentiam?) An mundus, si ab æterno fuisset a Deo productus, habuisset *Syre* (æternitatem simultaneam?) An entia rationis habeant *Saire* (essentiam imperfectam?) &c. Ubi non negamus, si ad res ipsas respiciamus, non pauca notatu digna pro iis qui his studiis delectantur, inprimis in dissertatione tertia, quæ Theologica dicitur, ingeniose immisceri; an vero novis hisce vocabulis tanta insit vis, ut quod putat Autor, nuda veritas, omni ambiguitate exclusa, statim concipi possit, judicet, qui velit: quemadmodum non nostrum, sed Pontificii, *Humani Erdemanni*, personati Scriptoris, judicium ex ore Viri, quem vocat, Eximii est in *Anti Caramuele pag. 16, Caramuelem habere ingenium ut octo, eloquentiam ut quinque, judicium ut duo.*

TIBERE, DISCOURS POLITIQUES sur Tacite du Sieur de la Motte Josseval d'Aronsel.

hoc est

Tiberius seu Discursus Politici in Tacitum Domini de la Mothe Josseval d'Aronsel.

Amstelod. typis Elzeverianis Anno 1683 in 4.

Taciti

TAciti gravissimi annalium conditoris tanta semper autoritas apud eruditos & existimatio fuit, ut veterum scriptorum nemo sit, in quo vel enarrando vel interpretando tot literarum notitia illustres viri fuerint occupati. Ex omnibus tamen illis, qui ejus libris operam impenderunt, *vix duos invenias*, qui eodem consilio ducti sint, aut idem commentandi genus elegerint. Cujus rei rationem Dn. de la Mothe in præfatione Tiberio suo præfixa prolixius evolvit, ac inde quid a se in novo isthoc opere post tot in Tacitum commentarios præstitum sit, edisserit. Selegit autem ipse solos sex priores annalium libros observationibus politicis illustrandos, & a Romanorum Monarcha tertio, cujus isti vitam describunt, tractatui nomen imposuit. Instituti ratio & rerum, quæ traduntur ordo, haud parum convenit cum methodo, qua antehac Pius Mutius *considerationes super Tacitum Italicas* conscripsit. Nimirum in capita divisum opus primo subinde loco textum Taciti latinum, qui dictum aliquod aut factum ad vitæ civilis institutionem pertinens recenset, pro titulo exhibet. Quæ postmodum in argumentum quodvis propositum Autor disserit, ea magnam partem ejusdem Taciti sunt, e scriptis ipsius passim collecta, ac continuo orationis cursu ita apte connexa, ut Tacitus velut sui ipsius interpres producatur. Sub cujusque capitis finem recentioris historiæ exempla conferuntur, quo loco Autor inprimis Ludovici XI, quem Galliæ Tiberium vocat, res gestas & imperandi arcana examinat. Placuit autem patrio sermone agere, ac proinde gallicis literis mandare, quæcunque Tacitus latine dixit. Ubi potuisset quidem autor opera Triumvirorum suæ nationis uti, videlicet Rudolphi le Maitre, Dominorum de Chamoallon & Ablancour, nisi ipse mentem potius Taciti, quam verba exprimere studuisset. Hinc varias etiam lectiones ac interpretum controversias fere semper præteriit, iis solis quandoque, sed breviter annotatis, quæ sensum aliquem integrum pervertere videbantur. Omni enim studio ad id unice incubuit, (nec sane perdidit operam,) ut ideam boni principis ex iis exsculperet, quæ in Tiberio, etiam quum malus autore Sejano esset, laudem merebantur.

FRANC

FRANC ZYPÆI, IN ALMA UNIVERSITATE Lovaniensi Medic. Licent. & Anatomiæ tam sine, quam cum sanguinis effusione, ad normam magni Bilsii Professoris, Fundamenta Medicinæ Physico-Anatomica.

Bruxellis ap. Ægid. t' Serstevens 1683, in 8.

INdefesso non minus Chymicorum quam Anatomicorum atque Physiologorum labore atque studio cum hoc, quod colimus, seculo adeo mirabilis Medicinæ contigerit Metamorphosis, ut multa, quondam pro veris habita, nunc ridicula evaserint, ac de quibus Antiquitas ne quidem somniavit, in lucem hactenus prodierint: Autor, non ingratas Lectori futuras sibi persuadens has Institutiones Medicas, eas publico destinavit, velut tales, quæ novis Anatomiæ inventis ac Philosophiæ modernæ a se sint adaptatæ, ac phænomenorum multorum, secundum Neotericorum plerorumque hypothesin mechanicam, explanatione exornatæ, omissis, aut ad minimum rejectis iis, quæ Medicinam obnubilant ac tyrones confundunt. Partium, quibus omnem absolvit tractationem, constituit sex, quarum prima de Medicina in genere agit, reliquæ Physiologiam, Hygieinem, Pathologiam, Semioticam & Therapeuticam exponunt, satis quidem accurate, & secundum methodum Præceptis ejusmodi adæquatam. Inter alia, ubi Lactis naturam ac productionem investigat, quamvis hujus materiam, seu chylum per arterias mammis adduci sustineri queat, ductui tamen thoracico hincque ad mammas derivatis surculis idem munus deferendum esse per autopsiam evincere satagit, qua in caniculis lactantibus ramos lacteos ex cysterna lumbari ac ductu thoracico ad mammas distribui, aliquando advertit, illo sc. modo, quem pro invisibilibus alias lacteorum & lymphaticorum ramulis pervestigandis ac deprehendendis sibi peculiarem, ex admirandis istis magni Bilsii Secretis, in sola Lovaniensi Universitate asservatis, & a Serenissimo Parmarum Principe tunc temporis Flandriæ ac Brabantiæ Gubernatore sibi concessis, possideat. Ubi in parte Therapeutica, indicatorum atque Remediorum, v. g. purgantium, sudoriferorum, venæ Sectionis, cucurbitularum &c. usu disserit, illorum ætiologias seu agendi rationes mechanice satis explicat, Illud nihilominus mirori cogi-

cogimur, cur Bilsii illius, cujus Anatomiæ cruentæ æque ac non cruentæ Fundamenta sua se superinstruxisse asserit, inventorum & paradoxorum, v.g. de labyrintho ductus roriferi, motu lymphæ seu roris a centro ad peripheriam, de ductibus Mosch ad Renes, nullam fecerit mentionem; vasorum Lacteorum usum juxta Asellium & Pecquetium admiserit &c.

OBSERVATIO CIRCA LONGITUDINES locorum quorundam in Tab. Geographicis non satis accurate determinatas. Ex Transactionibus Philosophicis Anglicanis n.143 excerpta.

QUantopere non raro in designanda locorum longitudine Geographi a veritate aberrent, id & olim pluribus exemplis comprobatum, & nova nuper observatione in Insula S. Laurentii patefactum fuit. Solet huic Insulæ communiter 75 æquatoris gradus tribui; in tabulis etiam antiquioribus ipsa fere a 78 gradu incipit & in 88 usque porrigitur. Majorem tamen hanc latitudinem vera esse quidam Dn. Heathcot, Anglus, Chirurgus navis onerariæ in istas regiones euntis, occasione Eclipseos Lunaris, quæ d. 19 Aug. 1681 accidit, detexit: legiturque ejus demonstratio in Transactionibus Philosophicis Londinensibus, postquam fuerat Societati Regiæ a Clarissimo Mathematico Dn. Flamstedio communicata. Quieverat nimirum navis in sinu quodam australi Insulæ S. Laurentii, ad eam partem, quæ Lusitanis Terra del Gada dicitur. Illic dispositis in littore mathematicis instrumentis, adhibito etiam vice horologii pendulo, cujus vibratio una minuto secundo respondebat, cœpit eclipsin laudatus Dn. Heathcot observare. Et simulac animadvertit extremam corporis lunaris superficiem umbra tegi, ad metiendum Procyonis altitudinem ipse se paravit, datis interim amico his partibus, ut vibrationes penduli accurate numeraret, quæ inter initium eclipseos & tempus visæ altitudinis stellæ fierent. Distantiam Procyonis ab horizonte invenit $25^{\circ}, 30'$; Vibrationes autem penduli fuerunt 140, quod est $2', 20''$ temporis. Postero die altitudinem Solis meridionalem metiens, loci latitudinem reperit esse $19^{\circ}, 20'$. E quibus omnibus denique collegit, tempus observatæ stellæ fuisse horam ma-

tutinam quartam cum 58 minutis primis; & subtractis inde duobus minutis primis & 20 secundis, eclipsin hora quarta 48′, 40″ incepisse. Si jam conferatur tempus, quo eadem eclipsis Lunaris Londini initium sumsit quoque, juxta calculum Dn. Flamstedii fuit hora matutina prima 50′, 40″; ac differentia duorum temporum in gradus commutetur: constabit clare, longitudinis Londinensis ab illa Insulæ S. Laurentii differentiam haudquaquam tantam esse, quantam Geographicæ chartæ faciunt, sed $7\frac{1}{2}$ gradibus minorem.

Simili modo Eclipsin lunarem anni 1682 die $\frac{11}{21}$ Februarii Londini cœpisse observatum fuit hora noctis nona, minuto duodecimo: at Lisbonæ visa est initium sumere hora octava, minuto 31. E qua differentia iterum longitudo Lisbonæ invenitur, haud parum ab ea, quæ vulgo statui solet, discrepans: uti id in Transactionibus philosophicis Anglicanis Mens. April. 1683 ad calcem annotatum est.

Mirum autem nemini videri debere, locorum adeo dissitorum distantiam intra tam laxos certitudinis terminos consistere, vel observationes earundem harum eclipsium, Gedani, Londini, Lipsiæque habitæ, & Actis superioris anni, mens. Jan. Apr. Aug. Sept. exhibitæ, fidem faciunt. Ex earum enim comparatione, sive initia initiis, fines finibus, aut momenta alia similibus conferas, liquidum est, intervalla locorum memoratorum contractiora esse, ac Geographorum etiam accuratiores catalogi aut mappæ volunt: adeo ut Londini & Gedani distantia observata sæpius $1\frac{1}{2}$, aliquando duobus integris gradibus; Lipsiæ vero & Gedani dimidio gradu minor sit ea, quam chartæ Tabulæque exhibent Geographorum.

APOTHEOSIS VEL CONSECRATIO HOMERI, sive, Lapis antiquissimus, in quo Poetarum principis Homeri consecratio sculpta est, Commentario illustratus a Gisberto Cupero.

Amstelodami, apud Henricum & viduam Theodori Boom 1683, in 4.

QUemadmodum magna semper eorum, qui & illustri ingenio & eruditione multijuga inclaruerunt, tam ante quam post fata fuit veneratio, ita Homerus potissimum, tanquam fons parensque omnis



E. Andresohn sculps. lips.

omnis sapientiæ, non exquisitis tantum elogiis, sed & statuis honoratus, æri incisus, ex eodemque metallo conflatus, tandemque inter Deos ipsos fuit relatus. Luculentissime hoc ostendit vir & magnæ dignitatis, in illustrissimum quippe præpotentium Fœderatorum Belgarum consessum cooptatus, & doctrinæ prorsus inusitatæ *Gisbertus Cuperus* hoc libro, non ita pridem evulgato. Producit enim in eo post auctores, qui statuas Homero positas attestantur, nummosque cusos imaginem ejus exhibentes, & templa in honorem ejusdem structa, etiam *Marmor* singularis ac perantiqui operis, quo Deus a Gentilibus factus atque in cœlo fuit positus. Repertum illud in agro Ferentino, qui hodie Principum Columnensium est, & vulgo Frattochia nominatur. Qui locus cum secessus Imperatoris Claudii olim fuerit, non absurde colligunt eruditi, Homerum, cujus lectione valde delectabatur hic Cæsar, & ex quo versus multos pro tribunali sedens allegare consueverat, solenniter ab se eo hoc ipso marmore fuisse consecratum.

Hoc uti multa præ se fert antiquitatem eruditam spirantia, ita TAB. XIV. *Latio* illud suo inferre ATHANASIVS KIRCHERVS, celeberrimi nominis Jesuita, non dubitavit. Videtur autem ipsi (ut explicationem ejus, quæ extat a fol. 81, usque ad 87, in compendium redigamus) in supremo monumenti ἀποθεωτικῶ ordine *Jupiter* Parnasso monti insidens, sceptro una cum Aquila assistente conspicuus, qui facie conversa ad Musas, pro apotheosi Homeri veluti supplicantes exaudiat. Sex autem Musis seu Charitibus cum sit circumstipatus, has totidem civitates esse censet apotheosin efflagitantes; Kirchero siquidem nihil aliud exhiberi in primo ordine videtur, quam legitima *Gratiarum* apud Jovem de Homero in Deorum numerum recipiendo supplicatio. In secundo ordine quæ *prima* apparet figura, Kirchero Poesis est, lyram sinistra, plectrum dextra tenens: *secunda*, quæ globum manu indicat, metrum Homeri videtur denotare, quo mundi opificium, & omnia, quæ in eo sunt, divino afflatu quodam descripta cecinerit; *tertia* rupi ambabus innixa manibus, velut ecstasi quadam abrepta divinos Homeri labores contemplatur: quod *quartam* & *quintam* attinet, in antro quæ conspiciuntur, prior lyram Orphicam læva tenet, dextra plectro instructa; posterior Iliadem monstrat, in qua amores, Deorumque omnium, quorum symbola, arcus & pharetra

retra sint cum fasciis, laudes & facta decantentur. Vir, qui *abaco* insistit, *Flamen* Kirchero est, dextra volumen tenens, sinistra pectus premens, & conversa ad Deas facie sententiam exspectans, promtumque pariter se exhibens ad sacrificia Ægyptio more Homero faciendia; id quod colligit ex duabus facibus accensis & Tautico Charactere, *proprio Ægyptiorum in sacris faciendis symbolo*, seu cruce ansata, aris templisque Niloticis hinc inde insculpta, omnibusque Ægyptiorum numinum manibus inserta. In tertio ordine, in quo executivam Jovis de consecrando Homero sententiam repræsentari putat Kircherus, abs eodem primum considerantur quatuor virgines sub forma *Charitum* adumbratæ: ΑΡΕΤΗ, ΜΝΗΜΗ, ΠΙΣΤΙΣ, ΣΟΦΙΑ. Hæc enim quatuor potissimum esse ait, quibus mundum in admirationem Homerus rapuerit. Has quatuor aliæ sequuntur, ΚΩΜΩΔΙΑ, ΤΡΑΓΩΔΙΑ, ΠΟΙΗΣΙΣ, ΙΣΤΟΡΙΑ; in quibus & ipsis Homerus excelluerit. Propter has itaque virtutes sacrificio hecatombes vel centum boum videtur honoratus, ob figuram bovis aræ impositam, thus item & thymiamata, sympulumque ac pateram, quæ duo a puero afferuntur. Throno igitur qui insidet, *Homerus* tandem Kirchero est, læva sceptrum flore loti insignitum, dextra Iliadis volumen tenens, duobus Geniis throno utrinque assistentibus; qua imagine cum ipsum apotheoseos actum exhiberi Kircherus credat, hunc claudi innuit per duos superioris ordinis Genios, quibus hæc subscripta legantur verba: ΕΤΜΕΛΙΑ, ΚΙΡΟΝΟΣ, ΙΛΙΑΣ, ΟΔΤΣΣΕΙΑ, ΟΜΗΡΟΣ, ΜΤΘΟΣ, ad denotandum tum dulcia Homeri carmina, tum reliqua Iliadis & Odysseæ opera sub abdito Mythologiæ ratiocinio descripta.

Atque hæc illa Kircheriana vetustissimi marmoris explicatio est; a qua etsi non parum lucis id monumenti acceperit, accuratiorem tamen hominis alicujus eruditi, inque omni antiquitate versatissimi curam desiderare non abs re fuit visum. Id igitur operæ suscepit CVPERVS supra laudatus, & quemadmodum in lectione veterum auctorum, omnique erudita antiquitate ad stuporem usque est versatus, ita multa quoque ad explicandum hoc marmor congessit, congestaque tandem cum universi literarii orbis applausu evulgavit. Huic autem ille, qui montis vertici insidet, barba & capillo decorus, inferiorem corporis partem tectus, diademate vel tænia caput cinctus,

ctus, sceptrum sive hastam tenens, nec non comitem habens aquilam, *Homerus* ipse est, isque tanquam novus Jupiter Olympo, non Parnasso, qui biceps est, insidens, & iisdem, quibus Jupiter, insignibus, excepto fulmine, exornatus. Sequuntur hunc *Musæ* dulci vocum concordia ejus, ut Jovis apud Hesiodum, animum demulcentes, variisque vestibus decoratæ. Quæ proximum abs novo Deo locum occupat, *Mnemosyne* videtur, vel *Eupheme*, vel potius *Calliope*: quæ descendentis vel saltantis habitu super antrum pendet, *Erato*, docta quippe saltare, & cithara, quam petit, canere: binas tibias (nisi faces sunt) ad Homerum protendens *Euterpe*: Citharam pulsans *Clio*, vel *Polyhymnia*, vel *Melpomene*: digitum in globum intendens *Urania*, quæ cœli atque astrorum motus scrutatur: quanquam nihil certi statuit Cuperus de his & reliquis, nullo insigni a se invicem distinctis. Novem Musas excipiunt *duæ Virgines* in aditu antri constitutæ. Harum altera, quæ dextrum latus claudit, severior, *Ilias*, altera, quæ sinistrum lætiore vultu, *Odyssea* videtur Cupero. Nam illa vetustior, hæc junior, & Ilias Tragœdiæ, Odyssea Comœdiæ est similis. Argumento præterea ipsi sunt res in medio antri ore atque ad pedes virginum positæ, arcus nimirum & pharetra, quibus bella in Iliade decantata, & pileus, quo peregrinatio Ulyssis in Odyssea descripta, designetur. Ubi quidem non dissimulat, NIC. HEINSIUM uti lyram antro superimpositam, ita arcum quoque & pharetram pro Apollinis insignibus accepisse. Vir basi prope antrum insistens tunica & pallio amictus, qui Kirchero flamen erat ad sacrificandum paratus, Cupero jam *Linus*, jam *Lycurgus*, jam *Homerus* ipse, jam alius quis veterum videtur: Heinsio autem *Pisistratus* est, qui dispersa Homeri scripta in unum corpus collegit; Spanhemio *Pittacus* vel *Bias*, ut patebit postea. Rem isthanc dubiam facit character Tauticus, qui capiti hominis imminet, Ægyptiorum inventum. Sed clariora sunt omnia in segmento marmoris ultimo. Qui enim Olympo modo insidebat *Homerus*, in templo nunc sedet diademate vel vitta casta caput cinctus, manum sinistram ad summam hastam fere extendens, dextra in genu reposita tenens codicem, tunicam indutus, pedes nudus; cingiturque filiabus, Iliade & Odyssea (libri enim poetarum *filiæ*, illique horum *parentes* appellari consuevere) atque Ilias quidem armata est *ense* propter bella & cædes; Odyssea vero *aplustre* propter

 errores

errores Ulyssis tenet. *Mures*, qui prope ὑποπόδιον chartulas rodunt, vel Batrachomyomachiam notant abs Homero scriptam; vel invidos, chartas & famam Homeri, ut mures corium, vellicantes. ΕΥΜΕΛΙΑ coronam ipsi imponit: ΚΙΡΟΝΟΣ admiratur virum & silentium suadet; ΜΥΘΟΣ pateram tenet & sympuvium: aræ adstat *Bos* miræ, sed tum temporis cognitæ formæ: ΙΣΤΟΡΙΑ ex acerra thus depromtum aræ duobus primis digitis injicit: ΠΟΙΗΣΙΣ faces, quæ ignem sacrum accendant, extollit: ΤΡΑΓΩΔΙΑ & ΚΩΜΩΔΙΑ præ gaudio & admiratione, quod auctorem patremque suum jam Deum vident, manus tollunt ad sidera; ΦΥΣΙΣ puerili imagine blanditur Virtuti: ΑΡΕΤΗ digito os premit, silentium suadet, increpatque quasi Naturam suas vestes vellicantem; ΜΝΗΜΗ meditabunda plane, memoriasque veterum repetens adstat: ΠΙΣΤΙΣ miratur tanta Homero propter innatam quasi dicendi ac persuadendi vim nunc præbita esse præmia: & denique ΣΟΦΙΑ eandem ob rem velut attonita hoc agmen claudit, oculosque in virum intendit, qui omnium judicio sapientissimus fuit habitus.

His breviter expositis in latissimum campum quem vasta aperit eruditio, evagatur Cuperus, virtutesque Homeri omnes his nominibus denotatas sigillatim, ex antiquissimis Hellados ac Latii scriptoribus explicat, insertisque hinc inde numismatis, statuis atque inscriptionibus egregie illustrat. Deinde cum & variæ vestium figuræ qua viriles, qua muliebres in hoc marmore exhibeantur, etiam harum peculiarem explicationem subjungit, nec huic tantum marmori, sed & universæ antiquitati plurimum adfert lucis. Sub finem addit amplitudine munerum & doctrinæ copia viri illustris EZECHIELIS SPANHEMII litteras, quibus indicavit, Virum illum basi insistentem *Biantem* sibi videri, primarium illud Prienensium decus, idque ob habitum Philosophis Græcis usitatum, & quia operis artifex Archelaus, cujus nomen monti insculptum, fuerit patria Prienensis. Addit etiam doctissimi Abbatis RAPHAELIS FABRETTI (qui hoc marmor in ædibus Columnensibus semel atque iterum cum Marcello Severolio recognovisset) notas, abs Antonio Magliabequio, Bibliothecario Florentino ad promovenda litterarum studia nato sibi missas. Hic in segmento ultimo mulieris, quæ primo loco stat, nomen non legit ΕΥΜΕΛΙΑ, sed ΚΟΥΜΕΝΗ, eoque suppleto ΟΙΚΟΥ-

ΜΕΝΗ,

MENH, intelligitque *Terram Matrem, Cybelem*, seu *Rheam*, aut Ægyptiorum *Isidem*, quam & turriferam in hoc marmore deprehendit. ΚΡΟΝΟΣ autem, quod pro ΚΙΡΟΝΟΣ substituit, alatus *Saturnus* ipsi est, vel *tempus* vel potius *cœlum* ipsum, significatusque adeo harum duarum imaginum iste: & terram & cœlum in æternitatem Homericorum carminum consentire; emendationes Fabretti alias ut taceamus.

De cætero cum semel occeperit Cuperus abstrusæ atque reconditæ antiquitatis Patulcium quendam agere, non ectypum tantum *Gemmæ Augustææ* a celeberrimo viro Joanne Georgio Grævio sibi missum, in qua Augustus & Livia currui triumphali insidentes, Octavia autem & Marcellus, vel Julia atque Tiberius eidem adstantes exhibeantur, sed & *Numismata antiqua* a Patino, Seguino, Vaillantio, Goltzio, Reineccio, edita aut in gazophylaciis reperta: *Inscriptiones* item & *marmora vetusta* a Smetio, Sponio, Grutero, Reinesio aliisque consignata docte feliciterque elucidat, tandemque colophonem pulcherrimo opusculo impositurus, *utilitatem, quam ex numismatis capere queant Principes*, scito atque erudito discursu exponit.

TRAITE' DU SCORBUT. PAR L. CHAmeau Docteur en Medicine.

sive

Tractatus de Scorbuto. Autore L. Chameau: Med. Doct.

Londini 1683. in 12.

QUantas in Anglia late strages edat Scorbutus tanquam morbus regioni huic præ cæteris endemius, cum observasset tunc temporis Autor noster Gallus, quando cum aliis Protestantibus sic dictis religionis ergo patria relicta eo se receperat, (licet postquam fortunam minus secundam Londini experiretur, Burdegalam repetere, ac ad Pontificios, quo praxin ibi Medicam libere sibi exercere liceret, transire haud dubitarit,) in gratam hospitii remunerationem, præsentem imprimi curavit libellum, quo suppetias quasi ad ulterio-

ulteriorem Scorbuti progressum inhibendum ferre nititur. Scorbutum ipsum non nisi sanguinis dissolutionem esse contagiosam, quæ diu multas corporis partes modo una vice, modo successive, afficiat male, arbitratur, cujus ortum a sale acri & subtili proxime derivat, velut quod aut immediate, aut interveniente sanguinis dissolutione pathemata quævis *Scorbuticis familiaria* gignat. Cur vero in Anglia frequentiores dentur Scorbutici, ac in Gallia, & cur Angli levamen quoddam hujus mali in Gallia persentiscant, Galli contra Scorbutici in Anglia evadant, ab Aere potissimum, vivendi genere, & demum consuetudine, quæ cum Scorbuto *jam* infectis in Anglia excolitur, deducit. Differentiam tandem Scorbuti, prout hunc celeberrimus Medicus Anglus Willisius, & cum eo plures alii Medici, in sulphureo salinum & salino sulphureum dispescunt, plausibiliter satis refellit; in Cura nihilominus, num calor quidam præternaturalis, an vero obstructiones conjunctæ sint, animadvertendum adhuc esse præcipit, præ cæteris remediis (in quorum præscriptione famigeratissimum Practicum Monspeliensem Barbayrac, Præceptorem quondam suum presso pede sequitur) inprimis Lac ceu verissimum Antiscorbuticum extollens, acria vice versa tantum non penitus velut noxia rejiciens.

ANTIBARCLAIUS, id est, EXAMEN Apologiæ, quam non ita pridem Robertus Barclajus, Scoto-Britannus pro Theologia vere Christiana edidit, institutum in gratiam Evangelicorum a L. Ant. Reisero, Augustano, nunc Pastore ad D. Jacobi Hamburgensi.

Hamburgi apud Gothofredum Schultzium, 1683. *in 8.*

SEctariorum fanaticorumque, quorum Anglia inprimis ferax hoc seculo fuit, pessimi haut dubie *Quakeri* sunt, seu *Tremuli*, ob tremorem corporis sic appellati; Spiritu nempe divino *se* corripi implerique jactitantes, ac ita correpti toto contremiscentes corpore, & quicquid post raptum illum verborum eructant, tanquam oracula divina, scripturisque sacris longissime anteponenda infrunitæ plebi venditantes.

Tametsi

Tametsi vero dogmata eorum Enthusiastica dudum publicis Theologorum scriptis penitus explosa sunt, mireris tamen, nec in hunc usque diem patronos ac propugnatores acerrimos isti Quakerorum sectæ deesse. Quos inter vel principe loco referendus venit *Robertus Barclajus*, Scoto-Britannus, qui servum Domini Dei, item servum Jesu Christi se profitetur. Hic enim ut sectam suam, quæ Quakerismus vulgo audit, commendabilem, præ religionibus Christianis reliquis redderet, primum *Theses Theologicas* de ea evulgavit, easque omnibus clericis, universis præsertim Doctoribus, Professoribus ac Studiosis Theologiæ in Academiis Europæ versantibus seu Pontificiis *sive* Protestantibus legendas excutiendasque obtulit. Deinde cum theses hasce ab aliis, ad Enthusiasmum scilicet propensis, laudatas, ab aliis iisque sanioribus oppugnatas intellexisset, eas novo scripto, quod *Theologiæ vere Christianæ Apologiam* vocat, incrustavit, editumque in lucem anno *1675* Carolo II, magnæ Britanniæ hodie Regi, dedicavit. Id operis operosum non minus, quam speciosum est, inque tanto a Quakeris pretio habetur atque æstimio, ut obturare id omnium contradicentium ora, neque refutari a quoquam posse sint persuasi. Et sane non nova tantum methodo, sed & novo scribendi genere hoc argumentum a Barclajo fuit pertractatum. Quamvis enim is Scholasticorum non *admiratorem* & *imitatorem*, sed *contemptorem* & *adversarium* in præfatione ad Lectorem se esse fateatur: Theses tamen suas in *Apologia*, non confuse, uti Fanatici plerique alii, sed Scholasticorum more, h.e. κατασκευαστικῶς & ἀνασκευαστικῶς propugnat; quippe ectheses suas non Scripturæ tantum ac Patrum dictis communiens undique, sed ad ea quoque, quæ sectæ suæ vel opposita jam sunt, vel opponi ulterius posse prævidet, pro virili respondens. Neque enim humanæ literaturæ ignarus est Barclajus, qui Quakerorum alias character est, ab ipso Barclajo thesi X requisitus; sed in Philologia, Philosophia, & lectione Patrum non tralatitie, ut totum hoc opus loquitur, versatus.

Tota autem moles Theologiæ Barclajanæ (lubet enim potissima thesium ecthesiumque capita referre breviter) internæ & immediatæ Spiritus revelationi tanquam principio ultimo ac fundamento innititur. Hæc namque ipsi sufficiens est absque externa per Scripturam seu verbum revelatione; hæc objectum quoque fidei est

sanctorum omnium, qui sunt, qui fuerunt futurique deinceps sunt; neque eam ad normam verbi divini (causæ videlicet suæ diffidens) vult examinari; Scriptura siquidem ei secundaria, Spiritus vero, seu revelationes ab eo factæ primaria Fidei morumque sunt regula. [Intelligit autem *spiritum non eum, qui per Prophetas* fuit locutus, sed privatum ac familiarem, qui examen Scripturæ haud admittit, imo in plerisque contradicit.] Dein, dum a Doctoribus particularitatis quoad gratiam & meritum Christi se dissociat, ex carbonaria, quod ajunt, in calcariam incidit, a specioso illo internarum revelationum lumine occœcatus. Nimirum dum decretum absolutæ reprobationis damnat, ad alterum extremum non minori cum periculo devergit, universalem statuens redemtionem Christi, & supernaturale aliquod lumen, idque salutiferum, cujus operationibus Philosophi quoque Gentilium servati olim fuerint, serventurque adhucdum, quibus Evangelium de Christo nunquam forinsecus innotuit. In doctrina de justificatione, quam ante se nunquam tam distincte ac luculenter ex Scripturis exhibitam fuisse gloriatur, Pontificiorum, Weigelii aliorumque fanaticorum arat vitula, in justitia eam interna, non imputativa constituens, operaque bona omnino ad salutem necessaria esse contendens; & quemadmodum opera Sanctorum polluta esse abnuit; ita possibilitatem illis non peccandi tribuit cum Donatistis, Pelagianis, Anabaptistis ac Pontificiis, quanquam ultro fatetur hic Apologetes, se ad statum illum perfectionis sanctitatisque nondum adspirasse. Requirit præterea, postquam semel revelationem internam immediatamque Theologiæ suæ præstruxit, internam tantum atque immediatam ad ministerium vocationem, cultumque divinum *non* in Liturgiis, precibus, conventibus Ecclesiasticis, cæterisque *sacris actionibus* (has enim carnales vocat,) sed in silentio, secretisque *Dei* inspirationibus, nec non tremore corporis, a quo & *Quakers* sectarii illi sunt dicti, constituit. Infantum baptismum pro *mera traditione* humana habet, non alium agnoscens baptismum, quam *Ignis* & Spiritus. Communicationem & participationem *corporis* & sanguinis Christi spirituale aliquid atque internum esse *dicit*, non ceremoniam, ut loquitur, frangendi panem, Sacramentum corporis Christi cum manducatione spirituali confundens. Refellit denique titulorum vanitatem hodie nimium quantum excrescentem, ut & vobis sa-

*bis*sationem, tuizationem præ illa approbans, capitis item aperitionem, ingeniculationem & corporis prostrationem, varietatem & luxum vestium, ludorum ac Comœdiarum usum, juramenta inprimis, vindictam & bella. Theologiam hanc suam tanquam vere Christianam deprædicat Barclajus, & veluti sponsam quandam labis maculæque omnis expertem commendat; dumque id agit, non tantum Pontificios, Calvinianos, Socinianos atque Arminianos, sed & Lutheranos stringit, multasque in hos injurias calumniasque evomit, in ecthesi maxime I, VII, IX, XI, XIV & XV.

Quas cum minime tolerandas vindicandasque omnino censuisset *Theologus* γνησίως Lutheranus, isque & exilio propter Christum & scriptis in lucem editis clarissimus *L. Antonius Reiserus*, patria Augustanus, nunc Pastor ad S. Jacobi Hamburgensis, justo zelo quodam correptus id laboris suscepit ipse, examenque *Apologiæ Barclajanæ* in gratiam Evangelicorum instituit. Neque id infeliciter. Examinavit enim theses atque ectheses Barclaji omnes, neque heterodoxas tantum ex orthodoxia subvertit, sed &, quid ὕπυλον sub illis, quæ saniores videntur, latitet, detexit; quam sæpe etiam sibi contradixerit Apologetes, quamque frivole inepteque Scripturæ ac Patrum dicta ad incrustanda dogmata sua adhibuerit, ostendit, explosis etiam omnibus, ad objectiones vel ab aliis vel a seipso factas, responsionibus, glossis item cerebrinis, & consequentiis male cohærentibus. Quandoquidem vero in prioribus Barclaji thesibus atque ecthesibus Quakerianæ doctrinæ fundamenta vel maxime continentur, in his quoque diruendis ac destruendis prolixior est Reiserus, quam in reliquis, in quibus eadem aut affinia cum Anabaptistis, jamdudum refutatis, sentit; cumque aliarum quoque religionum assertoribus multa objecerit Barclajus, Reiserus iis tantum, quæ Lutheranos seu Protestantes Evangelicos tangunt, retundendis vindicandisque est intentus. Non diffitetur interim, & suos Lutheranis esse nævos; atque hinc orta non tantum *Gravamina*, sed *pia* multorum doctorum bonorumque in Ecclesia Lutherana esse *desideria*; usum etiam ab abusu in multis, in illis maxime, quæ in II & XV ecthesibus taxantur, discernendum esse contendit. De cætero si non omnia, at pleraque tamen, quæcunque momenti alicujus esse sunt visa, & quibus Apologetes inniti cumprimis in Apologia sua voluit, justo ex-

amine ventilavit, & qua modestia est vir optimæ doctrinæ & vitæ, examen totum Lectoris accurati veritatisque Evangelicæ studiosi judicio censuræque submittit. Attexit etiam sub finem *Henrici Mori*, Theologi Angli, lectu dignissimam ad hanc sectam προσφώνησιν, statuitque cum eo, *Quakeros* non pauca *Jacobo Böhmio*, Philosopho, ut vocatur, Teutonico, debere.

RENATI DES CARTES EPISTOLÆ, Pars Tertia.

Amstelod. e Typographia Blaviana, anno 1683. in 4.

QUi Epistolarum Cartesii ad virorum doctorum quæstiones & dubitationes varias solvendas scriptarum priora duo volumina collegit doctissimus *Clerselier*, idem tertium hoc luci exposuit, reservans has ultimo loco, quæ in difficultatibus Dioptricis & Geometricis versabantur, & multum temporis ad delineandas figuras requirebant.

In præfatione Editor Gallus philosophiam Cartesii commendat, ac ex adversariis ejus recenset *Burdinum*, *Fermatium*, *Robervallium*, quorum duo priores Dioptricam, postremus Geometriam, primus & tertius quoque Physicas meditationes impugnarunt.

Epistolæ numerantur CXV.

Prima est Apologia Cartesii ad Magistratum Ultrajectinæ Civitatis adversus Voetios, patrem & filium. Conferri potest Ep. 97. & 110.

II usque ad XXII ad Mersennum aliosque ex Jesuitis, agunt de contentione, quæ Cartesio cum eis intercessit, propter theses & disputationes Burdini contra Dioptricam & principia philosophiæ.

XXIV usque ad XXVIII sunt ad Mersennum, partim Hobbesii dubia adversus Dioptricam Cartesii moventis & persequentis, partim Cartesii respondentis.

XXIX usque ad XLVI sunt partim Fermatii ad Cartesium, hujusque responsiones de Dioptrica; partim Fermatii ad Clerselierum & de la Chambre, cum Responsionibus Clerselieri & Rohaulti ad Fermatium.

XLVI

In XLVI usque LXXVII Cartesius cum Fermatio, Robervallio aliisque, de variis difficultatibus Geometricis disceptat; ad Principem Elisabetham de Problemate agit: Tribus circulis datis invenire quartum, qui contingat tres illos.

LXXVIII usque ad LXXXVII de vibrationibus tractant, & Aristarchi a Robervallio editi defectus perstringunt.

LXXXVIII est Clerselieri, qui eam affictam Cartesio prælegit in ædibus D. Montmor, ad refutandas objectiones Robervallii contra motum in pleno factas.

In XC & sequentibus tribus inter Cartesium & Ferrerium Mechanicum de machinis tractatur, ad secanda, terenda & polienda vitra perspicillorum maximopere idoneis, fabricandis. Confer Epist. 96.

In XCIV respondet Cartesius quæstioni Musicæ, quare magis liceat procedere a decima minore ad sextam majorem, quam a tertiis ad octavas.

In XCV proponitur systema novum, ad fabricandum instrumentum musicum, quod sit perfectum.

In C cupit quædam in metaphysica sua Cartesius mutari, ab Arnault melius edoctus; opinionem refellit Angli cujusdam, asserentis reflexionem corporum fieri ideo, quod per organum aliquod ab aliis corporibus, quæ offendunt, repellantur.

CI facit ad illustrationem motus Planetarum, quem non satis in Principiis Philosophiæ descriptum, aliqui desiderabant.

CII aeris gravitatem vindicat.

CIII proprietates magnetis explicat secundum tradita in principiis Philosophiæ.

CIV rationem inquirit, quæ facit, ut aqua descendat & vinum ascendat in duabus lagenis positis una super altera: refutat eos qui asserunt, corpus aliquod transire per omnes gradus celeritatis tum, cum incipit se movere.

CV motum globi tudicularis pulsi sæpius eadem vi mensurat, de quo etiam in præcedente epist. quædam occurrunt: doctrinam suam de Rarefactione tuetur; experimentum ponderandi aeris describit, quod pulchre sibi successerit.

CVI solvit dubitationes a Picotio motas ad loca quædam Parte 3 Principior.

CVII Schootenii quæstionum duarum Algebraicarum solutionem proponit, quam CVIII Cartesius approbat, & judicium suum rogatus addit de Gregorii a S. Vincentio libro de quadratura Circuli & Sectionum Coni, insignem in eo paralogismum indicans.

In CX difficultas Optica de radiis ab objecto venientibus & oculos ingredientibus enodatur.

CXII & CXIII, quid per ideas rerum insensibilium sit intelligendum, disquirit.

CXIV ad duas quæstiones respondet, unam de motu corporum; alteram, de qualitate cognitionis Dei in beatitudine.

CXV & ultima est Clerselieri ad de La Forge Medicum Salmuriensem, de Actione animæ in Corpus.

EDMUNDI RICHERII, DOCTORIS AC Socii Sorbonici historiæ conciliorum generalium liber 3 & 4.

Coloniæ anno 1683. in 8.

CUm priores hujus historiæ libros nuperrime Calendis Novembribus p. 494 recensuerimus, nunc restat, ut promissi memores, quid reliquis contineatur, strictim referamus.

Decretum fuerat in concilio Constantiensi, ut post quinquennium Papiæ nova Synodus haberetur, quo cum anno 1423 Prælati a nationibus & provinciis delecti, reformandæ ecclesiæ desiderio frequentes convenissent, ob luem pestiferam Senas abierunt, ubi quid circa inquisitionem hæreticorum contra *Petrum de Luna*, & de unione Græcorum gestum fuerit, ex actis ejus concilii, quæ a *Nicolao Fabro* acceperat Richerius, exponit.

In Basileensi, quod sequitur, concilio Constantiensis *synodi* decreta de autoritate concilii super Papam iterum iterumque repetita, &, quod in singulis fere sessionibus diligenter inculcat, *verbis* pariter ac factis stabilita, ab Abbate *Panormitano, Nicolao Cusano, & Johanne Patriarcha Antiocheno* peculiaribus scriptis defensa, & ab ipso Pontifice *Eugenio* in ordinem redacto approbata fuisse *refert*, nebulas a *Cajetano, Bellarmino, Vallio* & aliis objectas dissipat, & quibus artibus Romanus præsul salubriter a patribus intento *reformandæ* ecclesiæ concilio

cilio remoram injicere, & contra jus commune absolutæ suæ monarchiæ potentiam sartam tectam conservare annisus fuerit, enarrat. Nec dissimulat his Romanæ curiæ machinis effectum fuisse, ut multi, qui pro ecclesiæ & conciliorum *autoritate* egregie steterant, sive cardinalitiæ purpuræ *autoramento* excoecati, sive aliis beneficiorum philtris fascinati *libertatem* proderent, & Eugenii a concilio hoc, quod Græcorum prætextu dissolvere & Ferrariam transferre conatus fuerat, exautorati partibus faverent. In his fuerunt paulo ante nominati, *Nicolaus de Cusa*, cujus epistolas pro Eugenio scriptas Richerius examini subjicit, & *Panormitanus*, cujus argumenta, a *Ludovico Romano* defensa, *Johannes de Segovia* Theologus Hispanus, & *Ludovicus Alemannus* Cardinalis Arelatensis confutarunt.

Actis sessionis 36, occasione decreti de immaculata B. Virginis conceptione, prolixa Autoris de hac controversia digressio inserta legitur. Ac primum quidem ex *Jacobi Fabri* commentariis, quos in scholæ Sorbonicæ tabulario reliquit, varia dissidia ante & post concilium Basileense in Academia Parisiensi agitata repetit. Refert enim, quid à Facultate Theologica seculo decimo quarto contra *Johannem de Montesono* Hispanum, ejusque hyperaspisten *Gulielmum* Ebroicensem Episcopum, seculo decimo quinto contra *Johannem Viridem*, & seculo decimo sexto contra *Maldonatum* & alios Jesuitas, Parisiensis Episcopi patrocinio suffultos, pro immaculata Mariæ conceptione decretum actumve fuerit. Et hac certaminum historia præmissa Richerius suam de hac controversia sententiam exponit, asserens, Beatam Virginem equidem quoad jus, debitum, obligationem, habitum & in actu signato, minime vero de facto & in actu exercito originale peccatum contraxisse, quia singularis cujusdam gratiæ amuleto ita divinitus præmunita fuerit, ut realiter peccati originalis macula nullo modo potuerit inquinari, idque non opinione probabili, sed fide catholica teneri oportere. Quam sententiam primum e Scriptura, deinde ex tacito ipsius naturæ sensu, tum ex Patrum testimoniis, & tandem ex Jure canonico & ecclesiæ catholicæ consensu confirmare & contra Maldonati exceptiones & objectiones stabilire nititur: veritus, ut videtur, ne si aliter sentiret, Basileensis concilii autoritas, quam infallibilem & omnibus modis salvam esse cupit, aliquid detrimenti pateretur.

Decreta Constantiensis & Basileensis concilii approbavit Sanctio pragma-

pragmatica a *Carolo VII* Franciæ Rege Biturigibus condita, quam cum *Ludovici IX* sanctione Richerius comparat, obiter animadvertens, quod *Margarinus de la Bigne* in sua Patrum bibliotheca istam Ludovici sanctionem, ut eam Curiæ Romanæ tolerabiliorem redderet, castrare ausus fuerit. Postea prolixius recenset, quantopere post *Nicolaum* V, *Pius* II, ab *Ænea Sylvio* Canonico Tridentino, nondum Episcopo, nondum Cardinali, nondum Pontifice admodum diversus, aliique Pontifices Romani, pro obliteranda sanctione pragmatica laboraverint, & quanta constantia Ecclesia Gallicana, libertatis suæ & conservandæ tenacissima, & recuperandæ studiosissima, conatibus istis, qui erraticæ febris instar subinde corpus suum infestarunt, sese opposuerit, donec *Franciscus* I *Leoni* X & concilio Lateranensi tandem cederet.

Synodum hanc Lateranensem *Julius* II opposuit concilio Pisano *Maximiliani* I Cæsaris, *Ludovici* XII Galliarum Regis & aliquot Cardinalium auspiciis indicto, cujus actis præmittitur ejusdem apologia a *Philippo Decio* conscripta, ejusdemque clarissimi Jureconsulti consilium pro Ecclesiæ autoritate latum, & oratio pro defensione concilii Pisani contra Lateranense concilium habita. In ipsis autem actis concilii Pisani, quod *Julium* II papali officio suspendit, procemii locum occupant constitutiones quædam concilii Constantiensis & Basileensis, & formula atrocissimi juramenti, quo *Julius* II, antequam Pontifex Romanus eligeretur, & cæteri Cardinales ad reformandam ecclesiam se devoverant, cum aliis quibusdam instrumentis ad procurationem hujus concilii pertinentibus.

In historia concilii Lateranensis, a *Julio* II indicti & a *Leone* X continuati, commendatur oratio *Ægidii Viterbiensis*, qua bellicosum Julii animum perstrinxit; contra *Cajetani* oratio, qua Papæ potestatem nimis extulit & concilium Pisanum reprehendit, refutatur, & singularum sessionum gesta non sine censuris passim interjectis recensentur. Postremo refertur, quomodo *Francisco* I mater sua, & *Ludovicus* Sabaudus, & Cancellarius a *Prato* instinctu Pontificis Romani persuaserint, ac si Mediolanensem Ducatum, quem armis recuperaverat, conservare minime posset, nisi juxta concordata Bononiensia pragmaticam sanctionem in Lateranensi concilio damnatam, vel invitis omnibus regni sui ordinibus, quorum suasiones, obtestationes, querelas & appellationes primum a *Mamerto Patissonio* Gallice editas & postea in La-

in *Latinum* sermonem conversas Richerius exhibet, in regno suo prorsus aboleret.

Et hanc pragmaticæ sanctionis abrogationem toti Galliæ regno funestam, ipsique Regi omnium calamitatum causam extitisse Autor judicat, neque minus Cancellarium *Pratensem*, quamvis purpuram a *Leone* meruisset, perpetua nemesi vexatum fuisse animadvertit. Addit Ecclesiæ *Gallicæ* & Academiæ Parisiensis planctus, ac satyras, quibus Scholastici concordata Bononiensia & Cancellarium a Prato exagitarunt, graviterque deplorat varios abusus, qui ab illo tempore ordinem hierarchicum & disciplinam ecclesiasticam pessime corruperunt, quos Divina providentia sic disponente eo ipso anno, quo Constantiensis & Basileensis concilii decreta cum pragmatica sanctione in concilio Lateranensi abrogata sint, Martinus Lutherus publicæ luci exposuerit, cujus doctrinam, quam hæresin appellat, ob insanabiles regiminis Ecclesiastici corruptelas diu duraturam ominatur.

Tandem post commentarios fiduciæ, ut vocant, quibus *Adrianus* VI per Nuncium suum *Cheregatum* Principibus Germanicæ nationis in conventu Noribergensi reformandæ ecclesiæ necessitatem ingenue fatetur, & articulos a delectis Novemviris pro ecclesiæ & curiæ Romanæ emendatione jussu *Pauli* III compositos, item articulos fidei a Theologica Facultate Parisiensi promulgatos, sequitur historia concilii Tridentini, quod a praxi veterum conciliorum plane alienum esse notat, cum Spiritum S. Roma Tridentum mitti opus fuerit, & Italiæ episcopi, a nutu Romani Pontificis dependentes ejusque placitis innutriti, omnium reliquarum provinciarum episcopos suffragiorum numero longe superaverint; unde factum, ut multa in hoc concilio constituta fuerint, quæ a pristinis ecclesiæ moribus abhorrent. Adducit eam in rem testimonia *Claudii Espencæi*, *Claudii Sanctii*, *Gentiani Herveti* & *Gilberti Genebrardi*, eademque variis & lectu non injucundis annotationibus illustrat, quas hic referre supersedemus, nimiæ prolixitatis vitandæ studio ad finem properantes.

DOMINI BERNOULLI EXAMEN MACHINÆ urinatoriæ a Borello excogitatæ,

Ex Diario Eruditorum Parisiensi XXI, d. 16 Aug. 1683 desumptum.

JOhannes Alphonsus Borellus inter alia multa, quæ in erudito opere de motu animalium præclare tradidit, novæ cujusdam machinæ mentionem fecit, cujus ope possit homo sub aquis non tantum ad plures horas vivere, sed & piscium varios motus imitari. *V. pag. Actorum* 73. Quod inventũ quia & campanæ urinatoriæ, & canalis seu tubuli coriacei, cujus olim apud Romanos usus erat, incommoda diminuit, reaemque respirationi aptum diutius sub aquis conservat, nec externa aliorũ ope urinatorem sive inter descendendum, seu inter emergendum indigere patitur; plurimorum eruditorum approbationem meruit, ita ut humanæ industriæ posthac nihil in ista arte perficiendum superesse pronunciarent. Sed Dn. Bernoulli, Diarii Gallici XXI pag. 250, id judicium de machina Borelliana latum refellit, ac ostensis, quibus ea urgeatur, difficultatibus, prorsus ipsam nullius pretii esse conclusit.

Equidem quin istarum difficultatum plerisque occurri possit (agnoscente vel ipso Dn. Bernoulli) dubium non est. Nam nec plumbea illa fragmenta, quibus compositum ex homine & vase ad æquilibrium cum aqua reducitur, pedibus urinatoris alligari ullibi Borellus voluit: nec penitus impossibile fuerit, syringem octo pollices latam epistomio ita claudere, ut nullæ amplius rimæ pateant, per quas aquæ admittantur: & quod tertio contra pelleam bursam, quam Borellus conficere docet, objicitur, ad id facilis est responsio, si quis solummodo constructionem istorum canalium, quos ab Antiquis adhibitos fuisse diximus, expendat: quo conferatur ipse Borellus part. I. de M. A. prop. 220, & Schvvent. delic. Physico-Mathem. part. XII prop. 14. Interim, quo pacto palmario isti argumento, quod ab inæquali aeris & aquæ pressura Dn. Bernoulli ducit, satisfieri in Borelli favorem possit, vix apparet. Neque enim forte omnis difficultas tollitur, si vel maxime aer æneo vasi inclusus augeatur, quod quidem Borellus sub finem prop. 222 suadet. Id igitur curiosorum maturiori scrutinio relinquendum. Examen vero Dn. Bernoulli visum est, ipsius verbis e Gallicis Ephemeridibus hic exhibere, ut, quantum ponderis Clarissimi Viri argumentationi insit, tanto magis appareat.

Homo, inquit, *qui in aquam, galea armatus, mergitur, si eo modo ad notabilem quandam profunditatem descenderet, gravissima ibi tormenta perferret, ex ea ratione, quod caput tum solam pressionem elasticam aeris naturalis intra vas inclusi sustineret, reliquum interea corpus*

non

non solum pressioni cuidam atmosphæram æquanti, sed etiam gravitati cylindri aquei tanto altioris, quanto homo profundius mergeretur, expositum est. Id vero sanguinem e toto corpore, per nares, aures & os exprimeret, & caput multo magis inflaret, quam caro intra cucurbitulas vulgo attollitur. Imo vero ubi galea ad profunditatem 31 pedum (tanta enim requiritur, ut pressio corporis dupla sit pressionis capitis,) pervenerit, dolorem penitus intolerabilem fore existimo. Sed & alios præterea cruciatus urinator sentiet. Ut enim ipse una cum vase, cujus diameter duorum pedum est, demergi possit, aspendendum erit corpori pondus ducentarum librarum. Quo facto hærebit equidem in mediis undis, cum nec plus nec minus specificæ gravitatis obtineat, quam æqualis aquæ portio: attamen quoniam galea subinde vi quadam ducentarum librarum ascendere nitetur, plumbum vero, quod sacomatis loco est, æquali impetu eam fundum versus trahet, duplex iste in contrarium nisus demersi membra discerpet, ipseque homo suffocabitur. Verum equidem est, incommodo isti ex parte occurri, si ipsi galeæ plumbea fragmenta addantur; non penitus tamen illud evitari potest, quia homo sursum deorsum perpetuo traheretur, pro ratione, qua epistomium syringis vel promoveret, vel remitteret.

Non hic dicam de difficultate, quam habet constructio syringis, cujus cavitas pedem cubicum contineat. Nam si ejus longitudinem facias duorum pedum, latitudo novem pollicum cum dimidio erit; sin trium, octo pollices diameter habebit. Judicent hic alii, an parari epistomium possit, quod syringem ejus amplitudinis adeo exacte obturet, ut aqua satis impediatur, ne paulatim subintret. Hoc addo, si loculum quendam, jubente Domino Borello, e corio conficiamus, fore ut pressio exterior dum intra loculum sufficientem resistentiam non invenit, omnem inde aerem in vas æneum propellat, loculumque ita comprimat, ut ne minima quidem aeris particula illac amplius transire possit. Esto tamen, posse his defectibus remedium afferri: Primaria sane difficultas, quæ inæqualem pressionem aeris & aquæ concernit, nunquam tolletur. Ita enim argumentor: Ut quis sub aquis vivere ac respirare possit, necesse est, ut aut totum corpus humanum inclusum sit vasi, & aere circumdatum, aut quædam corporis pars ex vase promineat. Totum corpus inclusum esse non potest, nulli enim tum usui foret in fundo maris, siquidem finem, in quem mergeretur, non obtineret. Itaque si pars quædam

dam extra sit, necesse est ad evitandum dolorem, qui inæqualem pressionem comitatur, aut ut aliquid in promtu sit, quod partem ex vase eminentem a pressione aquæ defendat, (exempli causa loricæ species, quæ exacte illam partem circumdet, quæque non solum tantam habeat duritiem ut gravitati aquæ, non obstante irregulari ejus figura, satis resistat; sed simul quoque flexibilis ac mollis sit, ut hoc pacto manus urinatoris epistomium (syringis) *huc atque illuc agere, inque fundo maris operari possint, quæ quidem res plane impossibilis est;) aut oportet, ut de medio augendi pressionem aeris inclusi cogitemus, id quod fieri non potest, nisi per aeris condensationem, si scilicet vas non ex ære, sed e corio molli ac tenero paretur, ut complicari queat & exteriori pressioni aquæ cedere. Ita enim aer in vase ad minus spatium sensim se reducens tanto plus roboris acquiret, quanto profundius illud demittetur. Difficultas in hoc casu fuerit, quod syrinx tollendo aut demittendo homini non amplius sit servitura. Ubi enim vas ab aqua premente coarctatum in profunditate 30 circiter pedum, ultra duos extensionis suæ pedes cubicos perdiderit, urinator frustra vel ad summitatem usque syringis epistomium retrahet, ad recuperandum unicum pedem. Æternum enim aquis sepultus in maris profundo remanebit.*

Præter ista omnia nihil habebit hæc machina præ campana peculiare, quippe eidem incommodo obnoxia, quod respirationem in aere condensato comitatur; fistula enim & loculus, de quibus Borellus, campanæ æque ac isti machinæ aptari poterit; ut adeo perditis opera ac oleo semper in eandem difficultatem incidamus.

Ex his concludo: Machinam Borellianam plane nullius esse pretii.

LA VIE DE MADAME HELYOT,

sive

Vita Helyotæ, fœminæ.

a Paris, chez Estienne Michalet, 1683 *in* 8.

HEracliota Zeuxis cum a Crotoniatis ad exornandum egregiis picturis templum Junonis, quod religiosissime colebatur, ingenti pretio conductus esset, statuit secum sub Helenæ simulacro perfectissimam formæ muliebris pulchritudinem exhibere. Itaque ex univer-

universo virginum numero, quas formosissimas omnium judicaret elegit, ac quidquid in singulis eximium atque notabile deprehenderat, in picturam suam transtulit, ratus se hac ratione fœmineæ pulchritudinis imaginem rectissime posse absolvere. Idem consilium secutus videtur auctor, quem e Societate Jesu esse produnt præfixæ privilegii & approbationis formulæ, confessionarium pag. 482 profitetur, ætate provectum Præfatio indicat, sed qui suum nos latere voluit nomen. Is enim *Mariæ* cujusdam, Parisiis anno 1644 e gente Herinxia & Oliveria natæ, Helyoto consiliario regio anno 1662 nuptæ, & trigesimo septimo ætatis anno 1682 defunctæ vitam expositurus, quidquid venustatis, pietatis, modestiæ, castitatis, frugalitatis, patientiæ, sanctitatis, ac reliquarum virtutum fœminei sexus commendatur in variis, de una Helyota sua prædicavit, sanctissimæ fœminæ imaginem quasi & exemplar ob oculos sistens. In Sanctarum tamen numerum referre eam non est ausus, sive quod memoria ejus vitæ recentior esset, quam quæ hoc elogium admitteret, sive quod Urbani VIII decreto obtemperans auctor, sedis apostolicæ sententiam privato judicio antevertere vereretur. In duas narrationem universam distribuit partes: quarum altera brevior, nascentem, adolescentem, virtutumque ac pietatis semina quasi animo concipientem, matrimonii deinde castissimis nexibus implicitam, ex eoque filiolum suscipientem, sed qui quarto ætatis anno vix expleto decesserit, quem ipsa mater integerrimam Deoque dicatam vitam agens placidissimeque obiens secuta fuerit, sistit; altera prolixior, uberrimos suavissimosque sanctissimæ per omne virtutum genus exactæ vitæ fructus exhibet, ardentissimi amoris erga Deum, integerrimæ dilectionis proximi, disciplinæ exquisitissimæ sui, ac sollicitæ curæ aliorum æque ac suæ salutis promovendæ, precum item, fidei, pœnitentiæ, patientiæ, misericordiæ ac beneficentiæ in omne miserorum genus, suavitatis morum, frugalitatis, sobrietatis, & aliarum virtutum illustria documenta præbens, & rerum sancte ac præclare ab ea gestarum copiosam narrationem pertexens. Plane autem singularia sunt & communem mortalium sortem supergrediuntur ac fidem excedunt, quæ de radiis e facie ejus promicantibus, bono odore quem ipsius corpus spiraverit, vario morborum genere quos ipsa sanarit, apparitionibus item post mortem, quibus in hunc usque diem conspiciendam se devotis

fœminis præbeat, & memoriam sui conservet, admirationem vero augeat, refert: quæ sive vera sint sive conficta, in Divarum certe ac Sanctarum catalogum aliquando relatum eam iri, diribitore aliquo Pontifice, præsagitnut.

CONJUNCTIO LUNÆ ET PALILICII de die observata Gedani Anno 1683 d. 6. Nov. stylo novo,

a

JOHANNE HEVELIO.

CUm die 6 Novembr. st. n. conjunctio Lunæ & Palilicii incideret, etiamsi Ephemerides vix spem aliquam facerent illam conjunctionem, ob solis splendorem, videndi: nihilominus tamen volui ad illam diligenter attendere, ut, si fieri posset, accurate deprehenderem, quousque Luna ad stellam accederet, splendente licet Sole. Id quod etiam feliciter mihi successit. Nam orto jam Sole, & ad duos gradus elevato, Tubo decem pedum, ac Micrometro instructo, distincte distantiam Palilicii a Lunæ limbo orientali dimensus sum, comperique, 44'. 6" adhuc esse: sic ut ab ipsa conjunctione 1°. 14' adhuc abessent. Quousque autem Luna, tempore conjunctionis, ad Palilicium revera accesserit, adeo accurate indicare haud possum: cum post ea impedimenta intervenerint, quominus in ipso puncto conjunctionis (quæ post nonam matutinam, quantum colligere licuit prius, incidit) remotionem istam notare potuerim. Interea tamen nihilominus hæc observatiuncula bene notari meretur (etiamsi nonnisi unica tantum distantia impetrata sit) qua videlicet Palilicium a Luna, splendente jam Sole, observatum est: id quod profecto, quantum memini, nunquam, etsi 50 annorum spatio observationibus operam dederim, mihi obtigit: nec compertum habeo, an id ab ullo aliquo alio observatore, circa illam ipsam stellam deprehensum sit. Proinde non semper animus abjiciendus est, in Observationibus peragendis, quando Occultationes & Transitus de die incidunt, sed sedulo attendendum. Gedani d. 9 Novembr. st. n. Anno 1683.

HENRICI GUNTHERI THULEMARII, J. U. & Philos. D. & Academiæ Heidelbergensis Professoris P. ordinarii Tractatio de Bulla aurea, argentea, plumbea ac cerea in genere, nec non in specie de Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris, &c.

Heidelbergæ, 1682 in 4.

AUream Bullam, sanctionem illam Imperii nostri pragmaticam & fundamentalem, ex ipso, quod Francofurti ad Mœnum sancte asservatur, autographo editurus Auctor clarissimus, operæ pretium se facturum putavit, varia simul nec indigna memoratu de bullis commentari. Hinc de multorum sigillis aureis, argenteis, plumbeis & cereis plurima præfatus, ipsam Aureæ Bullæ historiam aggreditur, dicendo, eam neque ab ipso Carolo, neque consiliario ejus, Bartolo JCto, quippe qui jam A. 1355 Perusii diem suum obiisset, sed ab ipsis Procerum Germaniæ ministris confectam, ejusque demum Capita XXIII priora anno 1356, 4. Id. Januarii Norimbergæ in ædibus ad insigne aurei clypei conscripta ac edita; reliqua vero eodem anno in curia Metensi ipso sacri Natalis festo composita ac promulgata, neque alia de causa, quam ut Romano Pontifici aliisque Germanicæ linguæ ignaris innotescere posset, latino idiomate exarata fuisse. His præmissis, de Aureæ Bullæ originalibus *Latinis*, nec non editionibus diversis & commentatoribus prolixe disserit. Ratione originalium pro certo habet, unumquemque Electorum a Carolo IV exemplar authenticum aureo sigillo roboratum accepisse, neque, ut nonnulli voluerint, authenticum Palatinum, proximo tricennali bello Germanico Romam avectum, sed adhuc illæsum in Heidelbergensi archivo, asservari, id quod ipse auctor αὐτόπτης testatur. Præter Electores vero liberam quoque Civitatem Mœno-Francofurtanam originali a Carolo IV donatam fuisse, quod omnium famigeratissimum & emendatissimum putetur. Ad apographa deinde progressus, in typis impressa & manu scripta illa dividit. Inter hæc laudat M.S. in Bibliotheca Vindebonensi jussu Imperatoris Wenceslai descriptum, multisque figuris exornatum, nec non Norimbergense

Grund-

Grundherranum. Ex impressis recenset *Coloniense* 1530: *Moguntinense* duplex, quorum primum anno 1548 & alterum 1575 lucem adspexerit: *Francofurtense* apud Christianum Egenolphum studio ac opera Justini Gobleri JCti editum: *Antwerpiense* 1566: *Cujacianum*, quod in appendice librorum Cujacii feudalium legatur, ac denique *Palatinum* a Goldasto inter Constitutiones Imperiales relatum. Memorantur postea varii Aureæ *Bullæ* commentatores, Goldastus, Gerlacus Buxtorfius, Dominicus Arumæus, Martinus Rumelin, a Jacobo Speidelio & Nicolao Mylero ab Ehrenbach locupletatus, Georg. Theodorus Dietericus, Johannes Limnæus, Joh. Andreas Crusius, Joh. Volckmann Bechmannus, Georgius Lehmannus, Petrus Ostermannus & Hieronymus Canisius. His omnibus subjicit accuratissimam autographi Francofurtani descriptionem, ac tandem quoque varias versiones ac editiones *Germanicas*: & primo quidem eam, quæ Imp. Wenceslai jussu facta, in hodiernum diem in Bibliotheca Cæsarea ostendatur, ut & *Moeno-Francofurtanam* cum authentico latino in eadem cistula asservari solitam: *Venetam* inde, jussu Friederici III Imp. a Johanne Jenson primo excusam, ac eodem anno a Johanne Bæmler *Augustæ Vindelicorum* repetitam, & denique a Goldasto Constitutionibus Imperialibus insertam: *Argentinensem* anno 1485 apud Joh. Preussen: *Spirensem* 1527 a Petro Trachen: *Moguntinensem* A. 1562 a Francisco Bohem: aliam tandem *Goldastinam* part. II. **der Reichs-Satzungen** editam; quas omnes tamen cum latino authentico neutiquam convenire neque adeo vim probandi habere dicit. Exhibetur tum ipse Aureæ Bullæ tenor juxta authenticum Francofurtense; quem excipit alia *Bulla Aurea* in forma epistolæ commendatitiæ conscripta, quam anno 1330 *Andronicus* II Imperator Constantinopolitanus Henrico Henrici Mirabilis filio, Alberti M. nepoti, Duci *Brunsvicensi*, Orientem tunc temporis perlustranti dedit, cum notis doctissimi quondam Viri, Henrici Meibomii, novisque *Auctoris nostri*, ut vocat, additiunculis. Accedit *Bulla Brabantina* ab eodem Carolo IV. Imp. Johanni Duci Lotharingiæ, Brabantiæ & *Limburgiæ* anno 1349 concessa, cujus mentio in Instrumento Pacis *Westphalicæ*, ac Ferdinandi IV, nec non moderni Cæsaris augustissimi Leopoldi, Capitulationibus injicitur. Agmen denique claudit *Maximiliani II Imp. Capitulatio*, quam Germanico idiomate contextam, eamque integram, juxta ipsum

ſum Archivi Palatini exemplar authenticum, luci publicæ Auctor omnium primus exponit; ſicque oſtendit, Capitulationis illius exemplum quale Goldaſtus, & ex eo Carpzovius, Limnæus, aliique edidere, mutilum fuiſſe.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.
I. Theologica & ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam ſpectantia.

II. *Juridica.*

III. *Medica & Physica.*

IV. *Ma-*

IV. *Mathematica.*

V. Historica & Geographica.

VI. *Philosophica & Philologica Miscellanea.*

Mureti

ERRATA NONNULLA.

Pag. 10. lin. ult. & pag. 11. lin. 1. pro *Horreense diploma, quod falsum censuerat Papebrochius, verum esse asserens,* lege: *Archivi Sandionysiani diplomata quædam, quæ falsa censuerat Papebrochius, vera esse asserens.* Pag. 106, lin. 10. pro *27 & 28,* lege *26, & 27.* Pag. 172, lin. 19. pro *E & O,* lege *ξ. & o.* Pag. 189. lin. 18. pro *quanta,* lege *in quantum.* Pag. 287. lin. 32. pro *Responsi*, lege *Responsis*, & pro *usque*, lege *ubique* Pag. 298. lin. 22. pro *& ψ ad lineam,* lege: *ex ψ demissum ad lineam.* Pag. 554. lin. 7, pro *reaem* lege *aerem.* Cætera Benevolus Lector corriget ipse: jam enim relegere hujus anni Acta integra non vacat.